

# Universitätsbibliothek Wuppertal

**Annæi Senecæ Tvm Rhetoris Tvm Philosophi Opera Omnia**

Quid in eo contineatur sequens pagina indicabit

**Seneca, Lucius Annaeus <Rhetor>**

**M.DC.XLVI., 1646**

Epitome seu excerpta ex libris Controversiarum

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1509](http://urn:nbn:de:hbz:468-1-1509)



# CANDIDO LECTORI.

**N**ON uni Herculeum cum hydra Lerna pullulantibus capitibus res fuit. nam & mihi domitu remendarum monstros alteram aciem obijci video. Librorum enim huius Epitome quinque, Primus, secundus, septimus, nonos, & decimus (sequorenam Frobenianam & Gryphianam, primisque editiones, nuper illis & interpolatis longe meliores, quo à scriptorum librorum si de propius absint) Exceptia quadam continent ex quinque libris Controversiarum Senecae, ab aliquo Eloquentia studio collecta. Reliqui verò Libri, Tertius, quartus, quintus, sextus, & octauus, singulares sunt: integra enim qua erant, temporis iniuria intercidereunt: quod compendiis illis vel potius dispendiis, acceptum ferimus. Perdifficil utaque, amissis fontibus, de riunis coniectatio. Tamen & hic quadam cōmagistris, ne quid ad operis totius editionem omisisse videret adnotavi. Aliorum verò quinque librorum ubiores emendationes Controversis, sua queque loco, in persa sunt: quod ex comparatione mutram operam prestiterint: cūm hic quadam, nonnulla illic rectius legerentur, & non ad oram libri, sed in calcem, variis lectiones in Senecam Rhetorem de vet. libris coniect. In Epitome verò emendanda antiquissum versus codice Ant. Augustini egregij Praefulsi, & omni doctrina genere ita erpoliti, ut paucos ei comparem, antepozam neminem. Suppedebat & Ferdinandus Pintianus quedam, si vacat cum his committere: Suggeret quoque non pauca, quem nunc primum trans Pyreneos adferimus, Io. Petreius Toletanus, ex cuius Scholiis optima queque seposita, Emendationesque (à quibus ipse, ut meritis coniecturis, sapenumero inuitus vi veritatis, coactus sum recedere) ex scriptis. Verum de his eruditos omnes, quibus non prauidico, ex aquo & bono existimaturos confido. Vale.

INDEX

INDEX EPITO  
QUINQUE  
L  
IL Exercitiorum  
III. Parricida  
IV. Abducenda  
V. Seruaria  
VI. Pater regnante  
VII. Domus  
VIII. Venientia  
IX. Crux ferens  
L Pater a fuga  
II. Mitchellus  
III. Parva  
IV. Arma  
V. Principis  
VI. Indulgentia  
VII. Tyrannus  
VIII. Parvus  
I. Lector  
II. Gene  
III. Franc  
IV. Damocles  
V. Erigio  
VI. Laton  
VII. Thucyd  
VIII. Tyrannus  
I. Cleopatra  
II. Antiochus

# INDEX EPITOMÆ LIBRORVM

## QVINQUE CONTROVERSIA-

rum quæ interciderunt.

### LIB. III.

- I. Luxuriosus à sodalibus excœctatus.
- II. Parricida aquis sententiis absolutus.
- III. Abdicandus quia fratrem abdicatum adoptans.
- IV. Seruarius à filio.
- V. Pater raptam continens.
- VI. Domus cum tyranno incensa.
- VII. Venenum datum filio furenti.
- VIII. Olynthius pater reus concursus.
- IX. Crux serui venenum agro domino negantie.

### LIB. IV.

- I. Pater à sepulchro à luxurioso raptus.
- II. Metellus cœcatus.
- III. Patre exule filia rapta.
- IV. Armis sepulcri vicitor.
- V. Priuignus medicus.
- VI. Indiscreti, filius & priuignus.
- VII. Tyrannicida, & adulter tyranni.
- VIII. Patronus operas remissas repetens.

### LIB. V.

Præfatione laudatur Cassius Seuerus.

- I. Laqueus incisus.
- II. Gener diuitis inimici.
- III. Fratres pancratiaſta.
- IV. Damnatus parricidij alligans fratrem.
- V. Exusta domus cum arbore.
- VI. Raptus in ueste muliebri.
- VII. Trecenti ab imperatore recepti.
- VIII. Tyrannus post abolitionem candidatus.

### LIB. VI.

Præfatio de Aſinio Pollione, & Aſinio Gallo  
eius filio, & de Haterio.

- I. Chirographum cum abdicato.
- II. Exul pater fundo prohibitus.

- III. *Mater nothi, lecta pro parte.*
- IV. *Potio ex parte mortifera.*
- V. *Iphicrates reus.*
- VI. *Adultera venifica.*
- VII. *Demens qui filio cessit uxorem.*
- VIII. *Versus virginis Vestalis.*

## LIB. VIII.

- I. *Orba post laqueum sacrilega.*
- II. *Phidias amissis manibus.*
- III. *Infamus in nurum.*
- IV. *Homicida sui.*
- V. *Fortis nolens ad patrem fortem redire.*
- VI. *Pater naufragus diuiris sacer.*



EPITOME SEV  
EXCERPTA EX LIBRIS  
CONTROVERSIARVM M. ANNÆI  
SENECAE, QVÆ HACTENVS L. ANNÆO  
Seneca Declamationum titulo  
adscripta sunt.

## EX LIB. I. CONTROVERSIARVM.

## DECLAMATIO I.

Patruus abdicans.

**L**EX LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIANTVR. Thema. Duo fratres inter se dissidebant: alteri filius erat. Patruus in egestatem incidit. Patre vetante adolescens illum aluit, hoc abdicatus tacuit. Adoptarius à patruo est. Patruus accepta hereditate, locuples factus est. Egere ecepit pater. vetante patruo aluit illum adolescens. Abdicatur. C. D.

Contr. I. lib. I.

DECLAMATIO. Eo iam perductus erat, ut omnem spem vltimorum alimentorum in ea sola domo poneret, in qua habebat abdicatum & ieiunium. Ipse, inquit, me ali vetuit.

I mita-

Imitationem alienæ culpæ innocentiam vocas. Omnis instabilis & incerta felicitas est. Quis crederet iacentem super crepidinem Marium, aut fuisse consulern, aut futurum? Quid non timendum felicibus putas? Quid desperandum infelicibus? Ne circa plura instabilis fortunæ exempla te mittam, vide quis alimenta rogetur, & quis roget. Non sum hospes grauis. Vnum senem aduoco. Hoc tibi vitio placui pater. Perierat totus orbis, nisi iram finiret misericordia. Iactatus inter duos patres, utriusque filius, semper tamen felicioris abdicatus. Illud tamen pater deos testor, diuitem te relinquo. Circumbo tecum pater aliena limina. Ostendam omnibus, & me qui alimenta dedi, & te qui negasti: Abdicari non possum ob id quod feci, lege cogente. Quid si flere me vetes, cum vidi hominem calamitosum? Non sunt affectus nostri in nostra potestate. Quædam iura non scripta, sed scriptis omnibus certiora sunt.

PARS ALTERA. Crescere ex mea proposuit inuidia homo, qui se melius iactare potest, quam defendere. Iustus meus metus, ne heredem ingratum scribam, inimicum relinquam. Etiam si tu non odisti eum, qui fecit mihi iniuriam: ego odi illum, qui fecit tibi. Desinit esse filius: qui non tantum a patre abdicatus, sed ab alio adoptatus est. Audite quam valde eguerim. Fratrem foguai. Quis es tu, qui de facto patrum feras sententiam? Ad te arbitrium odis nostra non mittimus. Iudices deos habemus.

EXTRA. ALPIVS FLAVVS prætextatus apud Cestium controversias declamabat. Semper autem commendabat eloquentiam eius aliqua res extra eloquentiam. In pueris eloquentiae lenocinium erat ingenii ætas.

## DECLAMATIO II.

Sacerdos prostituta.

**L**EX. SACERDOS CASTA & CASTIS, PURA & PURIS SIT. Thema. Quædam virgo à piratis capta venit. Empta à lestone, & prostituta est. Venientes ad se exorabat stipem. Militem qui ad se venerat, cum exorare non posset, tum bultantem & vim inferre volentem occidit. Accusata absolta, & remissa ad suos est. Petit sacerdotium. Contradicatur.

Contr. 2. lib. I.

DECLAMATIO. Sacerdos vestra adhuc in lupanari

viueret, nisi hominem occidisset. Quo mihi sacerdotem, cuius precaria castitas est? id enim deerat, ut eas tenuila recipiant, quas aut cancer, aut lupanar eiecit. Indignam te sacerdotio dicerem, si transilles per lupanar. Fortuna, inquit, pati coegit, & misereri debent omnes mei. At nos non facimus miserandas sacerdotes. Nec est apud nos maximus honor ultimorum malorum solatium. Ita domi custodita est, ut rapi posset: ita curæ fuit suis, ut raptæ non redimeretur: ita raptæ pepercere piratae, ut lenoni venderent: sic emit leno, ut prostitueret: sic venientes deprecata est, ut ferro opus esset. Mouet me respectus omnium virginum, si in ciuitate nulla inueniri poterit, nec meretrice castior, nec homicida purior. Nulla est satis pudica, de qua queritur, Omnes, inquit, exoraui. Si quis dubitat an meretrix esset, audiat quam blanda sit. Putemus tres sacerdotium petere, nam quam capta sit: alteram quam prosterit: tertiam quam hominem occiderit. Omnibus nego.

**PARS ALTERA.** Voluerunt Dij esse miraculo in captiuam libertatem, in prostituta pudicitiam, in homicida innocentiam. Narrent sanè omnes tanquam ad prostitutam venisse, dum tanquam à sacerdote discesserint: quam pudica sit, miles ostendit: quam innocens, iudex: quam felix, redditus. Inter tot pericula dij non seruassent, nisi hibi seruaturi fuissent. Totum populus ad seruandam pudicitiam contulit, quicquid ad violandam attulerat. Dicat diis pudicitiam, quibus debet.

**EXTRA.** Longe recedendum est ab omni obscenitate & verborum & seruum. Quædam satius est, cause detimento tacere, quam verecundia dicere.

### DECLAMATIO III.

*Incesta de saxo.*

**L**EX INCESTA DE SAXO DEIICIATVR. Thema. Incesti damnata antequam deiiceretur, Vestram inuocauit. aieida vixit. Repetitur ad pœnam. Coniradicetur.

Contr. 5. lib. 1.

**DECLAMATIO.** Id enim deerat, ut modestior in saxo esset quam in sacrario fuerat. Dubitari non potest, quin visq; deiicienda sit, donec efficiatur propter quod deiecta est. Patrocinium suum putat pereundi infelicitatem. Quid tibi

tibi importuna mulier imprecet? visi ut ne bis quidem delecta pereas. Exponam cum quo stuprum, vel quando commisericit. Quia probauit ita, damnatis. Non putas legem cauisse ut perires, quæ causit quemadmodum perires? Male de diis existimas, si sacerdoti suæ tam sero succurrant. Ita dij maluerunt absoluere damnatam, quam sacerdotem.

PARS ALTERA. Damnata deiecta est, absoluta descendit. Putares puellam non deiici, sed demitti. Lex sacerdotem non ad saxum vsque differret, nisi sententiam deorum expectaret. Erat altitudo montis etiam securè despiciens horrenda.

## DECLAMATIO IV.

*Fortis sine manibus.*

**L**EX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPREHENDERIT, DVM VTRVMQUE CORPVS INTERFICIAT, SINE FRAVDE SIT. LICEAT ADVLTERIVM IN MATRE ET FILIA VINDICARE. Thema. *Vir fortis in bello manus perdidit: reprehendit adulterum cum uxore, de qua filium adolescentem habebat. imperauit filio, ut occideret. Non occidit. Adulter effugit. Abdicat filium. C. D.*

Contr. 4. lib. i.

DEC T A M A T I O . Solus ego ex omnibus maritis nec dimisi adulteros, nec occidi. Quis non putet aut me sine filio fuisse, aut filium sine manibus? Conceptus est iste, ex quo? sciemus, cum adulteros deprehendero. Tunc primum sensi me manus perdidisse. In bello meas, domi etiam filij manus perdidi. Tam frustra ad filium quam ad gladium curri. In bella non venit, & ante patriæ quam patri negauit manus. Vsque eo pugnauit pro vobis ut pro se non posset. Adolescentis quos dimisisti sequere. Non potui, inquit, matrem occidere. Quo sis excusatior, adiice, & patrem.

PARS ALTERA. Alterum putaui parricidium, matrem coram patre occidere. Non semper scelerata nostri sunt iuris. Atroces quoque animos misericors natura debilitat. In tam inopinati flagitijs spectaculo, toto corpore stupui. Pater, tibi manus defuerunt, mihi omnia, priusquam

in me reuertereret, exierunt. Maius erat scelus quod imperabas, quam quod deprederas si quid exegeris maius viribus meis dicam. Ignoscere, non possum. Ignoscit filio pater, navigationem recusanti si non ferat mare: ignoscit non sequenti castra, si non potest, quamvis ipse pater militaris sit. Ipsam legem recita. LICEAT ET MARITO, LICEAT ET FILIO. Quare tam multos nominat, nisi quia aliquos putat esse, qui non possint? Exierunt adulteri inter patrem debilem & filium stupentem.

## DECLAMATIO V.

Raptor duarum.

**L** EX. RAPTA, RAPTORIS AVT MORTEM, AVT IN-  
DOTATAS NVTIAS OPTET. Una no[n]te quidem ra-  
puit duas. Altera mortem optat, alia nuptias.

Contr. 5. lib. I.

**DECLAMATIO.** Stupro accusatur, stupro defenditur. Cum altera rapta litigat, alteram aduocat. Vindicate pa-  
tres. Fortior publicæ disciplinæ severitas surgat, iam binæ rapiuntur. Coit populus, velut publico metu territus, vix credens duos fuisse raptore[s]. Alteram iniuræ rapuit, alte-  
ram patrocino. Perieras iam raptor, ni bis peccare meruisses. Si te ante rapuisset, & nuptias optasse, deinde hanc viatiasset antequam nuberes, negares illum; iubente rapta, debere mori? Nihil amplius raptori præstare potes, quam  
ne lege tua pereat. Contrà alienam legem nullum ius ha-  
bes. Tu raptori præstas, ut illum ipsa non occidas. Non po-  
tes præstare, ne quis occidat.

**PARS ALTERA.** Inter pares sententias mitior vincat. Refer Virginiam, dic Lucretiam. Plures tamen Sabinæ sunt. Consumeliosum mihi erit, te dignam videri, in cuius ho-  
norem homo occidatur: me dignam non videri, in cuius honorem seruetur.

## DECLAMATIO VI.

Archipirata filia.

**C**APTVS à piratis scripti de redemptione, non redimeba-  
tur. Archipirata filia eum iurare coegit, ut duceret uxo-  
rem: si dimissus esset, iurauit. Relicto patre secuta est ad-  
lescen-

lescentem duxit illam. Orba incidit. Pater imperat, ut archi-pirate filiam dimittat, & orbam ducat. nolentem abdicat.

Contr. 6. lib. i.

**DECLAMATIO.** Bonæ spei vxor, bonæ spei nutritus, quæ vel amare potest captiuum, vel odisse patrem. In carcere, inquit, ac tenebris iacebam. Narrat, obsecro, socii beneficia, puella non misericordia morta est, sed libidine.

**PARS ALTERA.** Eo me loco non deseruit, in quem & pater venire timuit. Vidisses membra vinculis pressa, macie retractos introrsus oculos, attritas catenis & inutilis manus: talem quis amare, nisi misericors, potest? In tot Consulatibus Marius nihil habet clarius quam se auctorem. Pompeium, si haereditaria extulissent imagines, nemmo Magnum dixisset. Seruum regem tulit Roma. Quid tibi videntur illi rapti ab aratro, qui paupertate sua beatam fecere rempublicam? Non possumus una felices esse: quod solemus, una infelices erimus.

### DECLAMATIO VII.

A piratis tyrannicida dimissus.

**L**EX. LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIAN-TVR. Quidam alterum fratrem tyrannum, alterum in adulterio deprehensum, deprecante patre, interfecit. A piratis captus scripsit patri de redemptione. Pater piratis epistolam misit, si præcidissent ei manus, duplam pecuniam se daturum. Pirata illum dimiserunt. Pater in egestatem incidit, petit alimenta. Negantem vult in vincula ducere. C. D.

Contr. 7. lib. i.

**DECLAMATIO.** Si præcideritis. Si irasceris, potius scribe: Si occideritis. Tyrannicida exitum tyranni rogo. non timeo, ne quas manus pirate soluerunt, iudices alligent. Pro adultero filio rogas. Quærit nunc quomodo tyranni fiant. Duplam dabo. Apparet, pro vnico filio rogat. Duplam dabo: alteram pro filio, alteram pro tyrannicida. Si manus præcideritis. Hoc nec adultero fecimus, nec tyranno. Etiamnum manus meas petis? Nega tuam esse epistolam, & habes argumentum, dic ego rogare etiam pro adultero soleo. Remiserunt me Reip. cum manibus, patri cum epistolis. Hoc nostro seculo ad fabulas deerat, ut narraretur aliquis solutus

a piratis, alligatus à patre. Eius crudelitatis emptor, cuius nec pirata venditor. *Duplam dabo. Quid necesse est?* potius vilius solui. *Vt præcidatis manus.* Obstupueret prædones, & Indica, inquiunt, patri, non omnia piratas vendete. Qualem optem patrem, nescio. Diues debilitat, egens alligat. Neutrū manibus meis expedit. Vbi est patrimoniuū tuum; quo tyrannos instruis, quos adulteros facis?

**PARS ALTERA.** Suscepit tria prodigia, inter me, & se furentia. Vnum, qui posset patriam opprimere: alium, qui fratrem violare: alium, qui patrem. Lex hæc scripta est pro malis patribus. Nam boni etiam sine lega aluntur. Sciebam piratas non facturos, nisi pecuniam acceperint: & si sperarent, vtique præcidissent. Non ira illa patris, sed calliditas fuit. Vnde redimerem, non habebam. Rogare in tam auara cœnitate neminem poteram, in qua nec filij quidem patres alunt. Vlus consilio sum, sciens piratas non crudeles, sed auaros. feci vt desperarent, quod posses redimi. An prudenter cogitauerim, nescio. interim feliciter cogitau. Exclusa mens est, ex quo vidi vnum in arce filium, alterum in adulterio, tertium in parricidio. Relictus solus ex his senex.

**EXTRA.** Hic color approbadus est impetu. Magna enim vi opus est, vt aliquis accusando se mirabilem faciat. **SPARSUM** memini hominem inter scholasticos insanum, inter fanos scholasticum.

#### DECLAMATIO VIII. Ter fortis.

**L**EX. QVI TER FORTITER FECERIT MILITIA  
VACET. *Ter pater fortē in acie, quarto volentem exire retinet, nolentem abdicat.*

Contr. 8. lib. 1.

**DECLAMATIO.** Quod patriæ superest, patri vindico. Omne, filio pugnante, lastum. Iam pro te nescio quid etiam lex timet. Miraris, si quod legi satis est, patri nimis est. Causa militi abdicandi est, ne sine filio viuam. Abdicatio mea in potestate abdicati est. Optimus virtutis finis est, antequam deficiens desinere. Lex quoque ter viro forti aut diffidit, aut consulit.

**PARS ALTERA.** Certè abdicatis pugnare licet.. Pudet me, ter vieti militant. Senator post sexagesimum & quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. Quicquid honoris nomine datur, in utramque partem li-

cet. Alioquin desinit præmium esse, cui necessitas iniungitur. Otium imperas animo non otioso. Tumultus exortus est. In me omnium ciuium diriguntur oculi: & adhuc, verum dicendum est, nihil mihi patria debet. Nunquam pugnau, nisi coactus. Adhuc militia mea legis manus est. Athenienses abdicato vicerunt duce Quantum interest! Ille abdicationem virtute deleuit, ego merui.



## EX LIBRO SECUND<sup>O</sup> CONTROVERSIARVM.

### DECLAMATIO I.

Adoptandus post tres abdicatos.

**D**I VES tres filios abdicauit, petiit à paupere unicum in adoptionem. Pauper dare vult: nolentem ire abdicat. Contradicitur.

Contr. i. lib 2.

**DECLAMATIO.** Nunquam futurum putaui, vt aut pater meus liberos odisset, aut dives concupisceret. Diu dubitau, ille amicum tentaret, an hic filium. Ita nos pauperes sumus, qui habemus quod diuites rogent? Si immerto abdicauit, odi patrem, tot eiicentem innocentem: si merito, odi domum tot facientem innocentem. Amo æquè paupertatem ac patrem: utrique affueui. Non tibi per multos fulta liberos domus est: quanquam nec sic quidem debuisti dare. Tutior aduersus fortunam est, cui aliquid post damnum superest. Abdico, inquit. apparet, vnde venias. Vna inter nos disputatio est: iste me dignum putat beato patre, ego meo. Diuitem, inquit, esse te volo. O me abdicandum, si tales patrem relinqu, Quid me videri velim, nescio. Innocentem? sed abdicor: nocentem? sed adoptor. Non vt in ceteris abdicationibus, in mea potestate est non abdicari. Perditurus sum patrem, si abdicor: perditurus sum, si non abdicor. Quid interest, utrum eiciar, an transferar? Et si parendum in omnibus patri, in

eo non parendum, quo efficitur, ne pater sit. Graue est, carere unico: grauius eo, quem alius concupiscit. Non delerant ignoti seruorum domino greges, nec sonantia laxi ruris ergastula, patrem gratis amo. Necesse est ut timeam infelicem liberis domum. Non potest inuenire reconciliacionis aptius tempus, diues filios querit.

**PARS ALTERA.** Magnum, & hoc inter cetera paupertatis incommoda est, quod abdicationem filius non timeret. Senatorium gradum census adseendit. Census equitem Romanum à plebe secernit. Census in castris ordinem promovet. Census iudex in foro legitur. Facilius est paupertatem laudare, quam ferre. Si emendati, inquit, fuerint liberi mei, habebbo hunc cum illis, si perseverauerint, habebbo pro illis.

**E X T R A .** Aridi neclamatores fidelius quos proposuerint colores tuentur. non enim alicuius sententiae dulcedo subrepit, nullum schema sollicitat. Sic quæ malam faciem habent, sepe pudica sunt: non animus illis deest, sed corruptor. **GALLVS VIBIVS** fuit tam magna olim eloquentia, quam postea insaniam. Cui hoc accidisse vni scio, ut ad insaniam non casu caderet, sed iudicio perueniret. Nam dum insanios imitatur, dum lenocinium ingenij furem putat, quod simulabat, ad verum redegit. **ORTHO IVNIVS** pater edidit quatuor libros colorum, quos belle Gallio noster Antiphontis libros vocat: tantum in illis somniorum est. **SYRIACVS** contra Maximum Stertinum, à quo premebat, cum comes eius fuisset, dixit: Per annos quindecim in officio tuo fui, dic quid peccauerim? Sed haec est consuetudo vestra, iniuriam vocatis finem seruitis.

### DECLAMATIO II.

Iustiurandum mariti & vxoris.

**V**IR & uxor iurauerunt, ut si quid alteri accidisset, alter moreretur. Vir peregrè prefectus est, misit nuncium uxori, qui diceret se decessisse. Vxor se precipitauit. Recreatu, iubetur à patre virum relinquere, non uult. **abdicatur. C.D.**

Contr. 2. lib. 2.

DECLAMATIO. Dii immortales, qua debetis prudenteria humanum genus regitis : effecisti ut illud non periculum amantis esset , sed experimentum. Hos diuidere vult Iocer, quos nec mors quidem diuidet. Moriar, inquit: habeo & causam, & exemplum. Quædam se maritorum rogis ardentibus miscuerunt: quædam anima redemerunt maritorum suorum salutem, sollicitudine breui. Inter has puerilas viua numeratur. Affidue contentiones erant: Sine te vivere non possum. Imo ego sine te. qui certantium exitus esse solet: iurauimus. Hic animus sine dubio iurantium fuit, vt viui non diducerentur: cum illud quoque cauerint , ne morte diuiderentur.

PARS ALTERA. Non possum, inquit, relinquere vitum. Quid non potest, quæ mori potest? Pæne dum falsæ mortis nuncium misit, veræ recepit. Potes sine viro pati. peregrinationem eius tulisti. Iureiurando iam liberata es casu proximo.

EXTRA. OVIDIUS NASO apud Arellium Fuscum magistrum suum , hanc controversiam declamavit. Nam Latronis admirator erat. Latro in præfatione quadam dixit: Non vides, vt immota fax torpescat, & ignes exagitata restituat. Mollit viros otium , ferrum situ rubiginem dicit. Naso dixit:

*Vidi ego iactatus mota face crescere flammas,*

*Etrurus nullo concutiente mori.*

Hic autem dixit: Quicquid laboris est , in hoc est, vt vxorem à viro, & virum ab uxore diligi concedas. Necesse est deinde, vt iurare promittas, si amare permiseris. Eiusdem, Pauca nosti, pater. crimina: & litigauimus aliquando. & cecidimus: & fortasse, quod non putas, peierauimus. Rogatus aliquando ab amicis suis, vt tolleret tres versus: petiuit invicem, vt tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Conscripti pserant illi quos tolli vellet, secreto: hic , quos tutos esse vellet. In utrisque codicillis iidem versus erant: ex quibus primum fuisse narrabat Albinouanus Pedo , qui inter arbitros fuit,

*Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem. Secundum,*

*Et gelidum Borean, egelidumq; Notum.*

Ex quo apparet , summi ingenij viro non iudicium defuisse ad compescendam licentiam carminum suorum , sed

animum. Aiebat interim decentiorem esse faciem, in qua aliquis natus esset.

## DECLAMATIO III.

*Raptor patrem non exorans.*

**L**EX RAPTOR NISI ET SVVM ET RAPTA PATREM  
INTRA TRICESIMVM DIEM EXORAVERIT, PER-  
EAT. *Raptor rapt a patrem exorauit, suum non exorat. Reum  
facit dementia. C. D.*

Contr. 3. lib. 2.

**DECLAMATIO.** Quid contremiscis senectus? Quid lingua trepidas? Quid obtorpuistis oculi? Non dum est tricesimus dies. Ne tristiore quidem vultu expugnatam filiae pudicitiam tulit. Nimis cito exoratus est. Ne omnia vitia eius ab adolescentia repetam, virginem rapuit, patrem accusat. Hoc intra triginta dies. Putas me accusatori permisurum, quod filio negavi? Miraris dubitare patrem? Lex ipsa inter mortem & nuptias dubia est. Semper enim sibi omnia licere credit: nihil me unquam rogauit. Ignouit, inquit, ita quis ante me rogatus est? Demens sum. Vides: nimirum turpiter viuo. Legem ignoro, dies tuos non numero. Demens, inquis, es. Potest quis ignorare, sic roganti? Deliberabo cum amicis, deliberabo cum propinquis. Me miserum, quam pene promisi! O me miserum quod tantum triginta diebus irasci possum! Quid mirum, si citius illum exorasti? facilius est donare iniuriam, quam crimen. Procede in medium senex, cuius misericordia crudelis sum. Iam, inquit, angustum tempus est, & tibi vacat accusare? Sic quis exorat? sic deprecatur? Apparet te nunc primum rogare. Quid enim tanquam demens egis? Non sum exoratus. nondum transiuit tempus. etiamnum exorari possum. Quam iniquum est, nondum esse me nacentem, & iam reum.

**PARS ALTERA.** Me miserum, pater. iræ tuæ detra-  
ctum est nihil, tempori autem multum. Infeliciar sum,  
quam si neutrum exorasset. Si seruaturus es filium, iam  
tempus

tempus fuit: si occisurus, iam tempus est. Prior rogatus est, qui magis timebatur.

## DECLAMATIO IV.

*Nepos ex meretrice susceptus.*

**A**BDICAVIT quidem filium. Abdicatus se contulit ad meretricem, & ex ea sustulit filium. ager ad patrem misit. cum venisset, commendauit ei filium, & decessit. Pater post mortem illius in adoptionem recepit nepotem. Accusat ab altero filio dementia. C. D.

Contr. 4. lib. 2.

**D**ECLAMATIO. Dementia in me noui generis arguitur: sanus eram, si non agnoscerem meos. Expectabam, ut aliquis pro abdicato rogaret. Nemo audebat propinquorum, fratre cessante. Deficientis spiritus in aduentum meum sustinebatur. Intraui: iam cädentes oculos ad nomen meum erexit, fugientemque animam retinuit. In sinu meo & filium, & animam depositit. Nunciatum est mihi, in ultimis esse filium: nec hoc à fratre.

**P**ARS ALTERA. Pater istius incertus est. bene cum ipso ageretur, si & mater. Incidit in meretricem, inter cetera malam & foecundam. Mulier, nescio, aduersus patrem injuriosior sis, quod abstulisti illi hæredem, an quod dedisti. Adoptauit eius filium, propter quam eiecerat suum.

## DECLAMATIO V.

*Torta à tyranne pro marito.*

**T**ORTA à tyranne uxor nunquid de viri tyrannicidio sciret, perseverauit negare, postea maritus eius tyrannum occidit. intra quinquennium non parientem, sterilitatis nomine dimisit. Agit illa ingrati.

Contr. 5. lib. 1.

**D**ECLAMATIO. Eas nuptias tyrannicidium didu-

xit, quas non diduxit tyrannus. Trahebantur matronæ: rapiebantur virgines: nullæ tunc videbantur feliciores, quam quæ liberos non habebant. Suspiciatur est hunc tyrannus de tyrannicidio cogitare, siue isti aliquid excidit, siue non bene tegit vultus magna consilia; tamen de vxoris garrulitate queri non potest, cum sciat quemadmodum taceat. Imposita in ecclœum, sœpius ad absensem virum respexit, quam ad præsentem tyranum. Explicatur totus aduersus infelicem fœminam tyraunicæ crudelitatis apparatus: & illa instrumenta, virorum quoque animos ipso visu frangentia, ad excutiendam muliebris pectoris scientiam proponuntur: Verberibus corpus abrumpitur. Nescio Res publica, an tibi liberos ista mulier datura sit: tyrranicidam dedit. Miratus, si transit quinquennium inter uxorem tortam & virum occupatum? Scilicet corpus flagellis, igne adustum, tormentisque conuulsum? Ignoscetis puto mulieri, si dixeris, Fessa est. Quid tyrranicidio gloriari? Facilius est tyrrannum occidere, quam sustinere. Verbera, laminæ, ecclœi, quicquid antiqua fœnitia inuenierat, quicquid adiecerat noua, quid amplius dicam? & tyranus torquebat, cum de tyrranicidio quereret. Num pretent censum onerosa sumptibus, & (ut seculi mos est) ipsi deterius luxu fluente muliebris ambitione certamine mutuo, usque in publica damna priuatis insanit? Nunquid gemmas & ex alieno litore petitos lapillos? Expecta, potest parere. Non respondet ad certam diem fecunditas. Sui iuris rerum natura est. Vtrum puras tuum mirandum esse tyrranicidium, an huius silentium?

PARS ALTERA. Ego torta sum, merito obiiceres, nisi te vindicassem: etiam si scisti de tyrranicidio viri, nec indicasti, non est beneficium, scelus non facere. Deinde nec scisti, non enim tibi indicaui. Nec tam magnum consilium, virilibus quoque animis graue, commisi muliebri garrulitatib: quæ id solum potest tacere quod nescit. Quo tempore uxor torta est, nihil adhuc de tyrranicidio cogitabam: postea cogitau. Et haec ipsa mihi cogitandi causa fuit, uxoris vltio. Si quod audierat tacuit, non beneficium est, sed fides.

EXTRA. L. VINITIVS, quo nemo ciuis Romanus in agendis causis præsentius habuit ingenium. Quicquid longa

longa cogitatio illi præstatura erat, prima intentio animi dabant. Ex tempore causas agebat: sed non desiderabat hanc commendationem, ut ex tempore agere videretur. De hoc eleganter dixit diuus Augustus: L. Vinitius ingenium in numerato habet.

## DECLAMATIO VI.

Pater & filius luxuriosi.

**Q**VIDAM luxuriante filio luxuriari cœpit. Accusatur à filio dementia. C. D.

Contr. 6. lib. 2.

**DECLAMATIO.** Accusator meus intra se contrarios habet affectus. Cupit reum damnari, crimen absolui. Sed tu senex, inquit, hoc dicis: luxuria tua serius cœpit, citius definet. Quidam summum bonum dixerunt voluptatem. Nihil est mihi opus præcientibus. Habeo exemplum. Ostendi tibi luxuriam, quam in te non videbas. Ebrietatem patri obicit ebrius.

**PARS ALTERA.** Adolescens luxuriosus peccat: senex luxuriosus insanit? Nemo vitia quia odit, imitatur. Quis imperator ob hoc de prælio fugit, ut bene pugnaret exercitus? Non coercet vitia, qui prouocat. Meam luxuriam patri imputabo. Non sub severa fui disciplina, non sub bene instituta domus lege, quæ posset adolescentis formare mores, & à vitiis ætatis abducere. Quodammodo ad luxuriam à patre præmissus sum. Madent cani vnguento, & comeffator senex nulli nimis luxuriosus, sed parum famus videtur.

## DECLAMATIO VII.

Peregrinus negotiator.

**Q**VIDAM cum haberet formosam uxorem, peregrè profectus est. In viciniā mulieris peregrinus mercator migravit: et illam appellauit de stupro, adiectus pretius. Negauit illi Decessit negotiator, testamento omnibus bonis eam reliquit.

redem: & adiecit elogium, QVIA PUDICAM COMPERI.  
Adit hereditatem, reddit marius: accusat adulterij vxorem  
ex suffacione.

## Controv. 7. lib. 2.

**DECLAMATIO.** Seram querelam detulit. Non accuso adulteram, nisi diuitem factam. Post tantos impudicitiae quæstus, si tacere possum, confitendum habeo, hac me causa absuisse. Tempus est de vxore marito credi. Ferat matrona oculos iacentes in terram: & aduersus officiosum iuratorem, inhumana potius quam verecunda sit: longe ante suam impudicitiam ore, quam verbo neget. Nemo fortiter negantem iterum rogabit. Omnia bonorum heres sola esto, quia corrupti non potuisti, quia tam feliciter pudicitiam custodisti. Tace paulisper nomen auctoris. Nunquam non testamentum viri creditur? Adeone iam omnis patientia seculi nostri abiit, ut aduersus querimoniam viri, alieno teste defendatur vxor? Muliebrium vitorum fundamentum avaritia est. Quæ potest non timere opinionem adulterij, potest non timere adulterium. Ex omni rupe conchylium trahitur, quo uestis cruentetur. Infelices ancillatum greges laborant, ut adultera tenui ueste perspicua sit, eo nihil in corpore vxoris sue plus maritus, quam quilibet alienus peregrinusque agnoverit. Frustra aestimabo esse indicia, si tantum qui rogar, comperit pudicam. Omnes te impudicam loquuntur, pudicam tantum unus, & peregrinus. cui plus laudator quam accusator nocet. Vxorem meam nunquam audiui pudicam in adulterii elogio. Deince in terram oculos, & aures tuas externorum vocibus clade. Sibi quisque pro te neget. Pudicam ille dixit, ego impudicam. Puto, plus creditis cui, quam peregrino: marito, quam adultero. ipsum elogium corruptioris animo script: QVIA PUDICAM, inquit, COMPERI, quod nulli praeter me contigit.

**PARS ALTERA.** Formosa est, hoc natura peccauit. Si ne viro fuit, hoc maritus peccauit. Appellata est, hoc alias peccauit. Negauit, hoc pudice. Heres relicta est, hoc feliciter. Hereditatem adiit, hoc consulto fecit.

EPI.



# EPITOMÆ DECLARA- TIONVM,

LIBER TERTIVS.

SENECA Novato, SENECA, MELA  
FILII SALVTEM.

**V**OS DAM disertissimos agnoui viros, non respondentes famæ suæ cum declamarent, in foro maxima omnium admiratione dicentes, simul ad has domesticas exercitationes secesserant, desertos ab ingenio suo. Quod accidere plerisque æquè mihi mirum, quam certum est. Memini itaque me à Seuero Cassio quætere, quid esset, cur in declamationibus illa sua non responderet eloquentia. In nullo enim hoc siebat notabilius. Oratio eius erat valens cultu, ingentibus plena sententiis. Nemo minus passus est aliquid in actione sua otiosi esse. Nulla pars erat, quæ non sua virtute staret. Nihil, in quo auditor sine damno aliud ageret. Omnia intenta aliquo, aliquid pertentia. Nemo magis in sua potestate habuit audientium affectus. Verum est quod de illo dicit Gallio noster. Cum dicaret, rerum potiebatur, adeo omnes imperata faciebant. Cum ille voluerat, irascabantur. Nemo non illo dicente timebat, ne desineret. Non est, quod illum ex his quæ edit estimeris. Sunt quidem & hæc quibusdam grata. Verum eloquentia eius longè maior erat quam lectio. Non hoc ea portione illi accidit qua omnibus fere quibus maiori commendationi est audiri quam legi, sed in illo longè maius discrimen est. Primum tantundem erat in homine, quantum in ingenio: corporis magnitudo conspicua, suavitas

valentissimè voëis. Quamvis hæc inter se raro coëant, ut eadem vox & dulcis sit & solida. Pronunciatio, quæ histrio-nem posset producere, tamen quæ histrio-nis posset videri. Nec illo quicquam magis mirareris, quam quod grauitas, quæ decerat vitæ, actioni supererat, quandiu citra iocos se continebant censoria oratio erat. Deinde ipsa quæ dicebat, meliora erant quam quæ sciebat. Ut enim præsentis animi, & maioris ingenii quam studij, magis placebat in his quæ inueniebat, quam in his quæ attulerat. Iam vero iratus commodius dicebat. Ideo diligentissimè cauebant homines, ne dicentem interpellarent. Vni illi proderat executio: melius semper fortuna, quam cura, de illo mereret. Id nunquam tamen hæc felicitas illi persuasi negligentiæ. Vno die priuatas plures agebat, & ita ut alteram ante meridiem ageret, alteram post meridiem: publicam vero nunquam amplius quam unam vno die. Nec tamen scio, quem reum illi defendere, nisi te, contigerit. Adeo rursum quam ullam materiam dicendi, nisi periculis suis, habuit. Sine commentario nunquam dixit: nec hoc commentario contentus erat, in quo nudæ res ponuntur. Ex maxima parte prescribatur actio. Illa quoque quæ falso dici poterant, annotabantur: sed cum procedere nollet nisi instructus, libenter ab instrumentis recedebat. Ex tempore coactus dicere; infinito se antecedebat. Nunquam non utilius erat illi deprehendi quam præparari; sed magis illum suspiceret, quod diligentiam non relinquebat, cum illi tam bene temeritas cederet. Omnia ergo habebat, quæ illum ut bene declamaret, instruerent: phrasim nec vulgarem; nec sordidam, sed lectam: genus dicendi non remissum aut languidum, sed ardens & cogitatum: nec lentas, nec vacuas explicationes, sed plus sensus quam verborum habentes: diligentiam maximum etiam mediocris ingenij subsidium. Tamen non tantum infra se cum declamaret, sed etiam infra multos erat. Itaque raro declamabat, & non nisi ab amicis coactus. sed querenti mihi, quare in declamationibus impar esset sibi, hoc aiebat: Quod in me miraris, pene omnibus euenit. Magna quoque ingenia, à quibus multum abesse me scio, quando plus quam in uno eminuerunt opere? Virgilium illa felicitas ingenij in oratione so-

Vita reliquit. Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit. Orationes Salustij in honorem historiarum leguntur. Eloquentissimi viri Platonis oratio, quæ pro Socrate scripta est, nec patrono, nec reo digna est. Hoe non ingenii tantum, sed corporibus videmus accidere: quorum vires non ad omnia, quæ viribus efficiuntur, apta sunt. Illi nemo luctando par est: ille ad tollendam magni ponderis sarcinam præualet: ille quicquid apprehendit, non remittit, sed in proclive nitentibus vehiculis moraturas manus iniicit. Ad animalia venio: alij ad aprum, alij ad cœrum canes faciunt. Equorum non omnium, quamvis celerrimi sint, idonea curriculis velocitas est. Quidam melius equitem patiuntur, quidam iugum. Et ut ad morbum te meum vocem, Pylades in comœdia, Batyllus in tragœdia, multum à se aberant. Numenio cum velocitas pedum non concedatur tantum, sed obiiciatur, lentiores manus sunt. Quidam cum homoplachis, quam cum Thracibus optimè pugnans. Et quidam sic cum scena componi cupiunt, quomodo alteri est. In ipsa oratione quamvis una materia sit, tamen ille qui optimè argumentatur, negligentius narrat. Ille tamen tam bene impleret, quam præparat. Passienus nostes eum cœpit dicere, secundum principium statim fuga sit, ad epilogum omnes revertuntur. Media cantus quibus necesse est, audiunt. Miraris cūdem non æquè bene declamare, quam causas agere: aut cūdem non tam bene suasorias, quam iudiciales controuersias dicere? Si lo Pompeius sedens & facundus & literatus est, & habetur disertus, si à prælocutione dimitteret. declamat tam male, vt videat belle optasse, cum dixi: Nunquam furgas. Magna & varia res est eloquentia: nec adhuc vlli sic indulxit, vt tota contingret: satis felix est, quæ in aliquam eius partem eff receptus. Ego tamen & propriam causam video posse reddere: assueui non auditorem spectare, sed iudicem: assueui non mihi responderem, sed aduersario. Non minus deuito superuacua dicere, quam contraria. In scholastica quid non superuacuum est, cum ipsa superuacula sit? Indicabo tibi affectum meum. cum in foto dico, aliquid ago: cum declamo, id quod bellissime Censorinus aiebat de his quæ honores in

municipiis ambitione peterent , videor mihi in somnis laborare. Deinde res ipsa diuersa est. Totum aliud est, pugnare: aliud , ventilare. Hoc ita semper arbitratum est, scholam quasi ludum esse , forum harenam. Et ideo ille in foro primum dicturus , tiro dictus est. Agedum istos declamatores produc in senatum , in forum , cum loco mutabantur, velut adsueta classi , & dilectæ umbræ corpora sub dio stare non possunt. non imbreu ferre, non solem sciunt : vix se inueniunt. Assueuerunt enim suo arbitrio diserti esse. Non est quodd oratorem in hac puerili exercitatione spectes. Quid si velis gubernatorem in piscina estimare ? Diligentissimè tibi me excusarem, tanquam huic rei non esse natus: nisi scirem & POLLIONEM ASINUM , & MESSALAM CORUINUM , & PASSIENNUM , qui nunc primo loco stat , minus bene videri quam Cestium , aut LATRONEM. Vtrum ergo putas hoc dicentium vitium esse , an audientium ? Non illi peius dicunt, sed hi corruptius iudicant. Pueri fere , aut iuvenes , scholas frequentant. Hi non tantum disertissimi viris , quos paulo ante retuli , sed etiam Ciceroni Cestium suum præferrent , nisi lapides timerent. Quo tamen vi- no modo possunt, præferunt. Huius enim declamatio- nes ediscunt. Illius orationes non legunt , nisi eas quibus Cestius rescripsit. Memini me intrare scholas , cum recitaturus esset in Milonem Cestius : ex consuetudine sua miratus dicebat: Si Thrax essem, Fusius essem: si Pantomimus essem, Batyllus essem: si equus , Melissio. Non continui bilem , exclamaui : Et cloaca essem , magna essem. Risus omnium ingens. Scholastici intueri me , quis essem qui tam crassis ceruices haberem. Cestius Cicero- ni responsus , mihi quid responderet , non inuenit. sed negauit se executurum , nisi exirem de domo. Ego negauit me de balneo , publico exiturum , nisi lotus essem. Deinde libuit Ciceroni de Cestio in foro satisfacere , sub- inde nactus eum in ius ad prætorem voco : & cum , quan- tum volebam , iocorum conuiciorumque effudisem , po- stulauit ut prætor nomen eius recuperet lege inscripti ma- leficij. Tanta illi perturbatio fuit , ut aduocationem pe- teret. Deinde ad alterum prætorem eduxi , & ingratia postulauit. Iam apud prætorem urbanum curatorem ei petebam,

petebam, interuenientibus amicis, qui ad hoc spectaculum concurrerant, & rogantibus dixi, molestum me amplius non futurum, si iurasset disertiorem esse Ciceronem, quam se verum nec ut hoc faceret, vel serio effici potuit. Hanc, inquit, tibi fabulam retuli, ut scires in declamationibus in tantum aliud genus hominum esse. Si comparari illis volo, non ingenio mihi maiore opus est, sed sensu minore. Itaque vix iam obtineri solet, ut declinem: illud obtineri non potest, ut velim: aliis quam familiarissimis audientibus: & ita faciebat. Eius declamationes inaequales erant: sed ea quæ eminebant, in quaunque declamatione posuisses, inaequalem eam fecissent. Compositio aspera, & quæ vitaret compositionem sententiarum viuæ. Iniquum tamen erit ex his cum aestimari, quæ statim subtexam: non enim hæc ille optime dixit, sed hec optimè teneo.

## CONTROVERSIA I.

Luxuriosus à sodalibus exceccatus.

**L**Ex. Cœcvus de pvblico mille denarios accipiat. Thema. Decem adolescentes cum bona sua comedissent, fortiti sunt, ut cuius nomen exisset, exceccetur, & acciperet mille denarios. Exit fors cuiusdam. Exceccatus est. petit mille denarios. negantur.

**C**ONTRA EXCOECALEM. Hi sunt oculi, quos extinxisti mariti. O legem, si exceccat homines, abrogandam. Nulli dat mille denarios, nisi qui inuitus accepit. Dic nunc Miserere. Hoc, cum exceccareris, non dixisti. Resp. debilitatem consolatur, non emit. Consumptis patrimonii membra conferunt. Utlius est Reip. vnum cœcum repellit, quam nouem fieri. Non solus à vobis petit alimenta, sed primus. Alam eum, qui propter debilitatem alitur: non aliam, qui propter alimenta debilitatur. Sic fit, ubi homines maiorem partem vitæ in tenebris ita agunt, ut nouissimè solem quasi superuacuum fastidiant.

**P**ARS ALTERA. Illis nouem nihil daturus est: nulli non fauorabilis erit, si eos à quibus exceccatus est, deci-

git. Circumuentus adolescentis ab illis nouem veteranis consumptoribus: Solus, inquit, nouem consentientibus restare non potui. Omnia ex composite facta sunt. unus mentionem intulit, omnes approbauerunt. Electus est, qui sortiretur. Sors huius quae exitet prima subiecta est. Cum repugnaret, excusat us est. Si circumuentus est, inquit, iniuriam persecutus: de vi agat, rationem petat. videbimus. primum est, ut habeat unde viuat.

## CONTROVERSIA II.

Parricida et quis sententiis absolutus.

**T**HEDA. Quidam filium accusauit parricidij. Et quis sententiis absolutum abdicat.

**C**ONTRA FILIVM. Minus est iam quod rogo, non peto ut me a parricida vindicetis, sed ut separetis. Parricidam non accuso, sed fugio. Quando iste accusatori patiet, qui patri non peperit? Igitur nihil medium est inter testamentum, & culicum? Non est absolutus parricida, sed dubius. Ut absoluatur, multis tibi sententiis opus est: ut damneris, una. Non absolverunt reum, sed seculo pepercérunt. Miraris in hac ciuitate misericordiam, in qua lex absolutoriū det paribus tabulis? Quæris quām multis non placeas; si unum adiecerō, parricida es. Absolutionē m̄ legi, non innocentiae debes. Absolutus, inquit, sum. Non abdico te propter parricidium, sed propter alia vitia, quae te fecerunt etiam credibilem parricidam.

**P**ARS ALTERA. Manifestus est adolescentis color, vidat se auctoritate patris oppressum.

## CONTROVERSIA III.

Abdicandus quia fratrem abdicatum adoptauit.

**L**Ex. CVM FILIO TRICENNARIO PATER PATRIMONIUM DIVIDAT. Thema. Quidam habuit filium frustis, & luxuriosum. Abdicat luxuriosum. Frugi peregrinatio

fectus est. Captus est à piratis : scripsit de redemptione patri. Patre cessante luxuriosus praeuenit, & redimit. Rediit frugi. Adoptauit fratrem suum. Abdicatur.

**PO RO FRATREMADOPTANTE**: Non est quod quisquam me laudet, prior frater fecit inter nos pietatis exemplum. vna nauigauit, vna periclitatus est, vna omnes census est terras, tantum reliquit me ad paternam domum. Non est quod excusatione ætatis utaris, potes nauigare. Utique gratias agere deberet. Frater me isti reduxit: ego isti fratrem. Si tanquam inertem abdicasti, negauit, si tanquam impium, suos redemit. Non potest eripi filio, quod à lege accepit. Quomodo enim pater potest eripere, quod non potest non dare?

**PARS ALTERA.** Per alterum mihi necesse est abdicare quem nolo. Hoc uno alter alteri placet, quod vterque patri displiceret. Utram medicina qua cogimur, quod in vulneribus periculosis fieri solet, ut malum cum ipso corpore exsecetur. Adoptare adolescenti permittitis, quem lex in diuideando patrimonio experitur? Lex te ad ministerium patrimonij admittit, non in dominium. Est aliquæ ætas, à qua aliquis filius esse definit? Nec tricenario quidem filio adoptare licet. Neque enim quisquam potest alium in manum suam recipere, qui ipse in aliena manu est. Quomodo fieri potest, ut tibi potestas vitæ necisquatur in fratrem sit, aut filium non sit? Si bene de te meruerat, patrem pro filio rogasses. Nam quod ego non redemi, paupertatis fuit. Nihil in medio comparebat. Quidquid tricenarius reliquerat, abdicatus abstulerat. Quid facerem solus, senex, inops, cuius patrimonium alter diuiserat, alter absumperat?

### CONTROVERSIA VI.

Servatus à filio.

**L**Ex. SERVATVS CONTRA SERVATOREM NE QVAM HABEAT ACTIONEM. Thema. Servatus à filio eum abdicat. Ille prescribit.

**CONTRA FILIVM.** Liciisset perire, si non licet

loqui. Seruatum me putatis? Captus sum. Redde me hosti. Captiuis loqui licet. Quo tantopere beneficia vitia iactat? Audite quis prior dederit. Si quis me hosti reddiderit, seruatorem vocabo. An vos abdicationem putatis actionem? etiam si actio est, lex qua de seruato loquitur, ad personas tantum extraneas pertinet: ad filium, & ad patrem non magis, quam ad seruum & dominum, liberum & patronum. Ut à patria potestate discedas, & ad estimationem beneficij venias, qui dat vitam, si prior accepit, non obligat, sed reddit, processi in aciem, exemplum filio meo: vicit me non hostis, sed aetas. seruauit; quem sepe seruaueram. Rediuvium me seneni meretrix vocat. parasitorum iocantium materia sum. omnibus istis tanquam seruatoribus tacere iubeor. Fili, si vivere mihi non licet, cur perire non licuit? Ego, inquit, te protexi. Ita tu adolescens in acie non ante patrem stetisti? Audite filij mei gloriam. particidium non fecit, cum posset seruare, seruavit.

**PARS ALTERA.** Hic me genuit. Hic mihi spiritum, hic mihi has manus, quibus seruaretur, dedit.

### CONTROVERSIA V.

Pater raptam continens.

**L**EX RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM AVT INDOTATAS NYPTIAS OPTET. Thema, Raptor posseculat, ut raptam educatur: pater non vult.

**CONTRA RAPTOREM.** Iste raptor est, ego in ius adducor. Non est enim tam facile homini probo occidere, quam perditio mori. Communis, inquit, lex est. dij faciant, ne cogas me experiri, aut tota mea ista sit. Quando ergo, inquit, optabis? Hoc tempore non possum. Curo vulnera, familiam reficio, expugnatam domum lugeo, ereptam virginitatem consolor. Minantem sibi ipsi custodio. Quando optabis? cum raptam voluerit, non cum raptor. Quando optabis? cum tu noles. Quando, inquit, optabis? paro me optioni, confirmo animum. Non est facile hominem occidere: premo interim gemitus meos, & introrsus erum-

erumpentes lacrymas ago. Scio quid futurum sit; vultus te meus decipit. Stulte, quenquam morari putas nuptias filiae suae? in securim incurris, & carnificem ultro vocas. Cum rogare debebas, conuictum facis. Nemo vindicare se cogitur.

**PARS ALTERA.** Nihil est miserius, quam incertum inter vitam mortemque destitui. Iam beneficium erit, etiam si mortem optauerit. In amorem filiae istius incidi. Appellare de nuptiis debui patrem: feci. Sed videtis, quam etiam in lege latus sit. Raptor vitam alieni arbitrij habet, libertatem sui. Lex communis est. Habet hic raptor quod timeat. Habet & quod sperate possit. In lege, inquit, non est scriptum quando: immo statim. Quotiens enim tempus non adiicitur, praesens intelligitur. Tam longum tibi ius in caput ciuis non permittitur. Crudelius est quam mori, semper timere mortem.

### CONTROVERSIA VI.

Domus cum tyranno incensa.

**A**CTIO. DAMNI ILLATISIT ACTIO. Thema. Qui-dam tyrannum ex arce fugientem cum persequeretur, in priuatam domum compulit. Incendit domum. Tyrannus cum domo conflagravit. Primo accepto, agit cum illo dominus damni.

**PARS PRIMA. PRO TYRANNICIDA.** Cur non exclusisti? Quare recepisti? quare nullam aliam domum tyranus petiit? Nemo non venienti domum clausit. Adiutum in domum non habui, qui in arcem habui. Non gaudes te aliquid impendisse publicæ libertati? Hic est in cuius domo tyranus occisus est. Tanquam tyrannicida, monstraris. Redde, inquit, domum. Ita viuo tyranne non perdideras. Tyranni amicus, tyra-ni satelles: certè, quod negare non potes, hospes. Diu expectavi, an eiiceretur tyran-nus. Facilius potes accusare aut te, qui tam familiaris tyran-no fuisti, ut illi maximè tua placeret domus, qua illum recepisti: aut tyrannum, qui tibi damnum dedit, quod in tuam domum configit: aut, ut culpa te liberet, facilius potes accusare fortunam, quæ tyrannum potissimum ad te detulit.

**PARS ALTERA.** Eius debet esse damnum, cuius est præmium. Non iniquum, eius rei tibi iniuriam imputari, cuius fructum percepisti. Non elegit domum tyrannus: nec enim hoc illi vacabat: sed in eam quam potuit, irrupit. Cum ego in ea non essem, nactus hic occasionem occidi, intrare noluit: & tyrannicidium elegit, dubium, lenatum, periculosum vrbi. accepit præmium, maius sine dabo, quasi damnum sarcire deberet.

### CONTROVERSIA VII.

Venenum datum filio furenti.

**T**HEMA. Filio furenti, & sua membra lanianti, pater venenum dedit. Accusatur ab uxore male tractationis.

**CONTRA MARITVM.** Non mirum est quare viuat, que filium perdidit. Viuit, qui occidit.

**PRO ALTERA.** Quem quotidie perdebam, aliquando extuli. Falleris misera mulier, in orbitatis tuae tempore: non perdidisti tunc filium, sed tunc extulisti.

**COLOR.** ALPIVS FLAVVS hanc sententiam dixit: Ipse sui & alimentum erat, & damnum. Hunc Cesvius quasi corruptè dixisset, obiurgans: Apparet, inquit, te poëtas studiose legere. Iste sensus est eius, qui hoc saeculum amatoris non artibus tantum, sed sententiis impleuit. Ovidius enim in libris Metamorphoseon dicit:

Ipse suos artus lacero diuellere morsu  
Capit, & infelix minuendo corpus alebat.

### CONTROV. VII.

Olynthius pater reus concursus.

**L**EX, QUI COETVM & CONCVRSVM FECERIT, CAPITALE SIT. Thema: Vieta Olyntho, cum filio adolescenti Olynthius senex Athenas venit. Athenienses omnibus cimitatem Olynthiis decreuerunt. Inuitatus ad coenam ab adolescenti luxurioso, cum filio venit. Ibi cum de stupro filij mentio esset, pater profugit, adolescentis retentus est. Pater fle-

*q[uo]d a[n]g[e]s domum cepit. incensa est domus. Decem adolescentes perierunt, & filius Olynthij. Accusatnr pater, quod eum concursum inique fecerit.*

**P R O R E O C O N C U R S V S.** Misero si flere non licet, magis quendum est. Imperari dolori silentium non potest. Fuerunt ex populo qui dicerent, Hic meum filium, hic meam corruptum uxorem: suum quisque illo & ignem attulit, & dolorem. Timeo, fili, ne dum te quereo, in offa alicuius raptoris incidam. Vbi Athenarum fides? Vbi hospitales in uicem dextræ Capti, inquam, fili, sumus. Dum licet fugiamus: sed tanquam à Philippo. Pariter apud Philippum certè viri fuimus. Lacrymæ meæ vocantur in criminem, quasi ex quo Olyntus capta est, flere desierim. Tantus scilicet sum, ut in ea ciuitate populum concitare potuerim, in qua filium seruare non potui. Non quotiens conuenerunt in aliquem locum plures, coetus & concursus est: sed quotiens conuocati, quotiens parati, quasi ad ducem suum concurrerunt. Non si una vicinia coit, aut si transeuntium paucorum numerus afflxit: sed vbi totus, aut ex parte magna populus, vbi diuisa est in partes ciuitas. Coetus multitudinis magnæ nomen est, coeuntis ex consensu quodam. At illic initio pauci fuerunt. Deinde reliqui non ad me conuenerunt, sed ad incendium: quod tamen populus maluit spectare, quam extingui. Lex non cum puniri propter quem coetus factus est: sed eum, à quo coetus factus est. Non mihi tanti vltio fuit, ut amittere filium: teatui populum rogare, nec potui.

**P A R S A L T E R A.** Quid coetu opus est? Sunt scriptæ ad vindictam iniuriarum omnium leges. Mota semel multitudo modum non seruat. Ardere illo incendio ciuitas potuit.

#### C O N T R O V E R S I A I X.

Crux serui venenum ægro domino negantis.

**T**HEMA. Æger dominus petiit à seruo, ut sibi venenum daret. Non dedit. Cauit testamento ut ab heredibus crucifigeretur. Appellas seruus tribunos.

**PRO SERVO.** Lex Cornelia te appello. Ecce heres iubet, quod tu veras. Ne quis illum domino displicuisse putet, tunc huic parari crucem iussit, cum sibi venenum. Plura serui crimina confitemur. intempestivas potiones, inutiles cibos, desideranti negavit. Quid enim ille non voluit, qui venenum petiit? Maluit crucem pati, quam merexi. Si vincitur, peritus est: si non vincitur, scruturus est ei à quo in crucem petitur. Ex altera parte lex est: ex altera testamentum: crux utrinque. Furiosus serum sine causa occidere voluit. Queritis insaniae argumentum? & scipse voluit occidere. Seruo, inquit, tribuni non possunt succorrere: non natum regem habuimus. Seruo indice, patefacta est Bruti liberorum cum Tarquinis coniuratio. Ergo nihil interest, venenum domino aliquis dederit, an negauerit? Etiam ubi remedium est mori, scelus est occidere. Tam cito vos de vita domini serum desperare vultis, quam heredem? Mortem si supplicium putas, quid rogas? si beneficium, quid minaris? Venenum quisquam obiecit, nisi datum? Vllum tu finem facies tribunicie potestati, quam P. R. vt ipse plurimum posset valere, plus quam se voluit? Venenum habere scelus est tam magnum, quam dominum occidere.

**PARS ALTERA.** Mori volens elegit huic ministerio nequissimum serum, audacem, infestum sibi. Ille non sicut consiluit domini, quem videbat insanibili morbo taescere, sed tormenta extendit. Seruus herilis imperij non censor est, sed minister. Agitur de iure testamentorum quorum interit omnis potestas, si neglexerint imperia mortuorum, Tribuni. Itane furcis tu non morieris domini arbitrio, morietur dominus tuo?



EPITOMÆ  
M. ANNÆI SENECAE  
CONTROVERSIARVM  
LIBER QVARTVS.

SENECA NOVATO, SENECAE  
*Mela filii Salutem.*

**N**on numerarij solent facere ad expectationem populi detinendam, noua paria per omnes dies dispensant, ut sit quod populum & delectet & reuocet: hoc ego facio. non semel omnes produco: aliquid noui semper habeat libellus: ut non tantum sententiæ vos, sed etiam auctotum nouitate sollicitet. Actior est cupiditas ignota cognoscendi, quam nota repetendi. Hoc in histrionibus, in gladiatoriis, in oratoribus, de quibus modo aliquid fama promisit, in omnibus denique rebus videmus accidere. Ad noua omnes concurrunt, ad noua conueniunt. Non tamen expectationem vestram macetabo, singulos producendo: liberaliter hodie & plena manu faciam. Pollio Asinius nunquam admissa multitudine declamauit: nec illi ambitio in studio defuit. Primus enim omnium Romanorum aduocatis hominibus scripta sua recitauit. Et inde est, quod Labienus hominem quis linguae amarioris dicit: ille triumphalis senex *anagāoēs* suas nunquam populo communisit. Siue quia parum in illis habuerit fiduciae, siue (quod magis crediderim) tantus orator inferius id opus ingenio suo duxerit exerceri quidem illa volebat, gloriam fastidiebat.

Audiui item illum & viridem, & postea iam senem cum Marcello Esernino nepote suo, quasi præciperet. Audiebat illum dicentem: & pridem quidem disputabat de illa parte quam Marcellus dixerat: prætermissa ostendebat, tacita leuiter implebat, vitijs coarguebat. Deinde dicebat partem contrariam. Floridior erat aliquando in declamando, quam in agendo. Illud strictum elius & asperum, & nimis ratum in dicendo iudicium, adeo cessabat, ut in multis illi venia opus esset, quæ ab ipso vix impetrabatur. Marcellus, quamvis puer, iam tantæ indolis erat, ut Pollio ad illum pertinere successionem eloquentiæ sua crederet, cum filium Afinium Gallum relinqueret magnum oratorem: nisi illum (quod semper epenit) magnitudo patris non produceret, sed obrueret. Memini intra quartum diem quam Heritum filium amiserat, declamare eum nobis: sed tanto vehementius, quam vñquam: ut appareret, hominis naturam contumacem cum fortuna sua rixari. Nec quicquam ex ordine vitæ solito remisit. Itaque cum mortuo in Lycia Caio Cæsare per codicillos questus esset diuus Augustus: ut erat m̄os illi clementissimo viro non ciuiliter tantum sed etiam familiariter, quod in tam magno & recenti luctu suo homo carissimus sibi, pleno coniuvio cenasset, rescriptis Pollio: Eo die cenauit, quo Heritum filium amisi. Quis exigeret maiorem ab amico dolorem, quam à parte? O magnos vitos, qui fortunę succumbere nesciunt, & aduersas res suæ virtutis experimenta faciunt. Declamauit Pollio Afinius intra quartum diem, quam filium amiserat. Præconium illud ingentis animi fuit, malis suis insultantis. At contra Haterium scio tam imbecillo animo mortes filiorum tulisse ut non tantum recenti dolori cederet, sed veteris quoque & oblitterati memoriam sustinere non posset. Memini cum diceret controversiam de illo, qui à sepulchris trium filiorum abstractus iniuriarum agit, medianam dictiōnēm sicut eius interrumpi: deinde tanto maiore impetu dixit, tanto misericilius, ut appareret quam magna interim pars esset ingenij, dolor. Declamabat Haterius admisso populo ex tempore: solus omnium Romanorum quos meo tempore cognoui, in Latinam linguam translulit Græcani facilitatem. Tanta illi erat velocitas orationis, ut yitium fieret.

Itaque

Iraque diuus Augustus optimè dixit: Haterius noster suf-  
flaminandus est. Adeo non currere, sed decurrere videba-  
tur: nec verborum tantum illi copia, sed etiam rerum e-  
rat: quotiens velles eandem rem, & quandiu velles, dice-  
ret. Aliis totiens figuris, aliis tractationibus. Ita ut nec re-  
gi posset, nec consumi. Regi autem ab ipso non poterat; a-  
lioquin libertum habebat, cui pareret, & sic ibat, quomo-  
do ille aut concitauerat eum, aut refrænauerat. Iubebat  
eum transire, cum aliquandiu locum dixerat: transibat. in-  
sistere iubebat: eodem loco permanebat. iubebat epilogum  
dicere: dicit. Habebat in sua potestate ingenium, in alie-  
na modum. Diuidere controuersiam putabat ad rem per-  
tinere, si illum interrogares: non putabat, si audires. Is il-  
li erat ordo, quem impetus dederat. Ac non dirigebat se  
ad declamationem legem, nec verba custodiebat. Quædam  
enim scholæ iam quasi obsoleta refugiunt: nec si qua sor-  
didiora sunt, aut ex quotidiano usu repetita, pati. Ille ita  
hoc scholasticis morem gerebat, ne verbis calcatis & ob-  
soletis viceretur. Sed quædam antiqua, & à Cicerone di-  
cta, à ceteris deinde deserta dicebat, quæ nec ille quidem  
orationis citatissimæ cursus poterat abscondere. Adeo  
quicquid insolitum est, etiam in turba notabile est. Hoc  
exempto, nemo erat scholasticis nec aptior, nec subli-  
mior, sed dum nihil vult, nisi culte, nisi splendide dicere,  
sæpe incidebat in ea, quæ detulsum effugere non possent.  
Memini illum (cum libertinum reum defenderet, cui ob-  
iiciebatur quod patroni concubinus fuisset) dixisse: Im-  
pudicitia in ingenuo crimen est, in seruo necessitas, in li-  
berto officium. Res in ioco abiit: non facis mihi officium,  
& multum ille & hic in officiis versatur: ex eo impudici &  
obseceni, aliquandiu officiosi vocitati sunt. Memini & il-  
lam contradictionem sic ab illo positam, magnam mate-  
riam Pollionis Afinij, & tunc Cassij Seueri iocis prebuil-  
se. At, inquit, inter pueriles condiscipulorum sinus lasciuia  
manu obsecena lusisti, & pleraque huius generis illi obii-  
ciebantur. Multa erant quæ reprehenderes, multa quæ su-  
spiceres, cum torrentis modo magnus quidem, sed turbidus  
fueret. Redimebat tamen vitia virtutibus: & plus ha-  
bebat quod laudares, quam quod ignosceres: sicuti ea  
in qua fecit declamatione.

## CONTROVERSIA I.

Pater à sepulcro à luxurioso raptus.

**T**HEM A. Quidam amissis tribus liberis, cùm assideret sepulcro, à luxurioso adolescentे in vicinos horitos deductus est, & detonsus. Coactus conuiuio interesse, mutata ueste, dimissus, iniuriarum agit.

**P**RO PATRE. Nunquam lacrymæ opprimuntur impetum, sed etiam irritantur. Nulla flendi mori est causa, quām flere non posse. Rapuit me qualem in conuiuio pudenter venire, dimisit qualem ad sepulchrum redire puderet. Credo mirari aliquem, quod in forum amissis modo liberis, veniam. At ego iam in conuiuio fui. Quousque, inquit, flebis? Est quādam in ipsis malis miserorum voluptas, & omnis aduersa fortuna habet in querelis leumentum. Ibi me flere prohibes, vbi crudeliter ipse non fleres. Cum miserrimum sit flere, quām infelix sum, cui ne hoc quidem licet. Vidi ebriorum sitim, & vomentium famem. Quis est iste, qui supra fluentem patrem censuram lugendi postulat? Proiectus in omnia gula libidinisque flagitia, omnibus denotandus censoribus, saeculo praecepta componit. Sic quantum super amissos tres liberos patri flendum sit: quem si viueret pater, fleret. Senet, orbus, infelix, hoc tantum inter miserias solarium capio, quod miserius esse non possum. Cineres meorum in sepulcro video. Magnum solarium est, appellare sepius nomina liberorum, non responsura. Hic mihi viuendum est: ne cui de nuptiis vele liberis cogitanti dirum omen occurram: cogit flere, qui non finit. In illo conuiuio morari, etiam felicis patris est iniuria.

**PARS ALTERA.** Questus fui pridem de inhumanitate eorum, qui illum propinquitate contingenter. Nemo amicus, nemo, inquam, propinquus est? Sed melius, ut video, illius rabiem nouerant. Festo die sodales, amicique mecum: quorum unus, Quid hunc miserum sic perire patimur? Nemo sibi ipsi finem sien di fecit. Pudet illos despicere: cogi volant. Consolare et diutius, nisi iam & accusatice posses.

Con-

## CONTROVERSIA II.

Metellus cœcatus.

**E**X. SACERDOS INTEGER SIT. Thema: Metellus pontifex cum arderet Vesta templum, dum Palladium rapit, oculos perdit. Sacerdotium illi negatur.

**P**RO METELLO. Vesta mater, fortasse nullum sacerdotem haberes, nisi Metellum habuisses. Sacrorum causam ago, non Metelli. Plus eorum interest, ne Metellum sacerdotem, quam Metelli, ne sacerdotium perdat. Non erat tantus Metellus, cum illi sacerdotium dedimus. Ciuitas sollicita pendebat. Duo periclitabantur, quibus nihil populus habebat pretiosius, sacra & Metellus. O faciendum sacerdotem, nisi esset. Lex integrum ad animum refert, non ad corpus. Lex estimari hoc voluit, tunc cum quis pertet, non cum haberet sacerdotium. Habes Vesta duplex pontificis tui meritum: seruauit sacra, nec vidit.

**E**XTRA controversiam. **P**O L L I O: Ante hoc, si cœcus factus esset, non abstulisset. Si postea cœcitus factus est, vidit.

**P**ARS ALTERA. Sacerdotis non integri corporis, quasi mali ominis res vitanda est. Hoc in victimis notatur, quanto magis in sacerdotibus? Post sacerdotium magis observanda est debilitas. Non enim sine ira deorum debilitatus sacerdos. Apparet non esse proprios deos sacerdoti, quem ne seruati quidem seruant.

**C**OLOR. Hunc colorem **G**ALLIO non probabat, summo cum honore Metelli, asserens contra Metellum agendum ita, ut rogetur cum iudicibus officio pontificum & ipse consulere.

## CONTROVERSIA III.

Patre exule filia raptæ.

**E**X. IMPRUDENTIS CÄDIS DAMNATVS, QVINQ<sup>UE</sup> ANNIS EXVLET. Altera. RAPTA RAPTORIS MORTEM, AVT INDOTATAS NVPTIAS OPTET. Thema. Cum quidam haberet filiam & filium, imprudenter

cedis dampnatus, in exilium abiit. Filia eius raptæ est. Ræptor ad patrem puella se contulit. Impetravit ab illo, ut inberet filiam nuptias optare, & epistolam daret ad filiam. Fratre autore mortem optauit puella. Pater rediit. abdicat filium.

**C**ONTRÀ FILIVM. Quomodo me excusabo Reip. cui duos abstuli? Néutrum mea culpa. In altero me forunam decepit, in altero filius. Filia etiam fratri paruit: filius nec patri. Per humanos, inquit, errores. Agnoui preces meas. Potes, inquit, omnibus ostendere, quām non possis hominem occidere. Scio me ciuem debere Republicæ. hoc intererit tamen, quòd imprudentes occidimus: piudentes seruuimus. Aliquem in exilio infra forunam meam vidi.

**P**ARS ALTERA. Irrupit contumeliose, tanquam in exulis domum. Peruenit ad patrem; non pepercit eius pudori. At ego querebar, quòd absenti fecit iniuriam. Non possum ob hoc abdicari, quod lege factum est. Non potuisti pater de iniuria iudicare quam non noueras. Multa nobis extorquentur, quæ nolumus scribere: & tu in ea fortuna eras, in qua posles iniuriam accipere: & ille is erat, qui etiam in patria posset iniuriam facere. quia sciebat malam causam suam, egit apud illum, qui eam non noterat. Rediit superbus, iubebat, & nos optare nuptias cogebat. Videbatur sic & illuc coegerisse. Aliquid tamen epistolis consecutus est. nemo vñquam tardius periit. collegit ingentem numerum perditorum, expugnauit domum, vexauit puellam. Hoc tibi raptor non narrauerat.

**C**OLOR. LATRO aiebat, semper inuisum esse, qui reum alium pro se subiiceret. Non oportere hoc deriuari factum, in forotis voluntatem. Qui defendit, inquit, crimen, auditur tanquam reus: qui transferit, tanquam accusator. Malo autem loco est, qui habet rei fortunam, accusatoris inuidiam. ASINIVS POLLIO dicebat, colorem in narratione ostendendum, in argumentis exsequendum. Non prudenter eos facere, qui in narratione omnia instrumenta coloris consumerent. Nam & plus eos ponere quam narratio desiderasset, & minus quam probatio.

## CONTROVERSIA IV.

Armis sepulcri victor.

**L**EX SEPULCRI VIOLATI SIT ACTIO. Themis. Bellum cum esset in quadam ciuitate, vir fortis in acie amissis armis, de sepulcro viri fortis arma sustulit. Fortiter pugnauit & reposuit. Premio accepto accusatur sepulcri violati. C. D.

PRO VIRO FORTI. Arma vix contigeram. secuta sunt. Haec si sumo, arma sunt: si relinquo, spolia. Vidi sed violari sepulchrum, si illo venisset hostis. Utterque quod alteri deerat, commodauimus. Ille viro arma, ego armis virtutem. Resp. multum consecuta est. vir fortis nihil perdidit. Necessitas est, quae nauigia iactu exonerat: necessitas est, quae ruinis incendia opprimit. necessitas est lex temporis. Quicquam non sit legitimè pro legibus? Melius cum ipso sepulcro actum est, in quo notiora sunt arma itenim virtuticia. Pro Republica plerunque tempora nudantur, & invsum stipendijs-dona conflamus.

PARS ALTERA. Reum habemus in prælio inertem, in fuga audacem, turpem non minus patrocinio, quam crimen. Arma sua perdidit. Hoc excusare non poterat, nisi rapuisset aliena. Rapuit aliena. Hoc excusari non poterat, nisi & sua perdidisset. Arma iusticia, arma consecrata diis Manibus, arma quae te quoque fecerunt virum fortem. Reposui, inquit, arma. Gloriatur, quod non & illa perdidexit. Non teneor lege, quia reposui. Tam teneris hercle, quam qui vulnerauit aliquem, licet vulnus sanauerit: quam qui surripuit aliquid, licet deprehensus reddiderit. Non est hoc illi crimen propter virtutem donandum, iam gratiam virtuti retulimus, præmium consecuta est. Eos nos esse conuenit, unum virum fortem honorauimus, alterum virum dicemus.

## CONTROVERSIA V.

Priuignans medicus.

**T**HESA. Abdicauit quidam filii. Abdicatus medicina studuit. Cum pater egrotaret, & medici negarent posse

*sanari, sanauit. Reductus est patri. Agrotare nouerca capi. Desperauerunt medici. Rogat pater filium, ut curet nouer-  
cam. Nolentem abdicat.*

**PRO FILIO MEDICO.** Quo pacto istud euemit, ut abdi-  
catione mea pater agrotaret, reditu nouerca? Pictati cel-  
sere morbi. Medicinam relinquo, multum laboris, multum  
vigiliarum, adiice huc, quod qui sanantur, ingratii sunt: &  
medicus possim decipi, & non possum priuignus excusari.  
Eundem, inquit, medici morbum esse dicunt: nempe illi,  
qui negauerunt te posse sanari. Ego vero cedo domo si fa-  
teris illam sic posse sanari. Timeo fortunam, imputabir  
mihi si quid acciderit. Ecce tu me non posse non credis.  
Omnes medici negant: & nunc diligentiores fuerunt quia  
in te decepti sunt. Non sum tanta scientia, quanta vi-  
deor. Magnis praeceptoribus opus est. Ego abdicatus studui,  
Quaremod te sanauerim? non tibi medicus, sed fi-  
lius profuit. Desiderio laborabas, gratum tibi erat quic-  
quid meis manibus acceperas, ut primum intravi, recrea-  
tus es, quid in te curandim esset, aduerti. Haec non eodem  
morro laborat. Multa sunt dissimilia, sexus, aetas, animus.  
Nihil magis aegris prodest, quam ab eo curari, a quo vo-  
lunt. Temeraris remediis graues morbi curantur, quibus  
uti non audeo in nouerca.

Non oportet adolescentem quicquam nouercæ suc-  
censere, alioquin odit & gaudet. Ferendus est adolescens, &  
se excusat: non est, si vlcscitur.

**PARS ALTERA.** Lugendum est, siendum est, in hoc me  
conseruasti? Hostis aliquando vulnus sanauit quod fec-  
erat, ob hoc maximè, quia aliis sanare non poterat. Negant  
posse sanari, Nemo sulcipit: nemo vult enim filio curatio-  
nem praepare.

**POLLIO** dicebat, inter patres & filios id solam iudex  
putat licere, quod oportet.

#### CONTROVERSIA VI.

*Indiscreti filius & priuignus.*

**T**HEMA. *Quidam mortua uxore qua in partu perierat  
dixit aliam: puerum rus misit. Ex illa subinde sustulit  
filium, utrumque puerum ruri edicanit. Post longum tem-  
pus redierunt similes. Querenti matri uer eius esset, non in-  
dixit. Accusatur ab ea mala tractationis.*

**PRO MARITO.** Quid fletis pueri? securi estote. Non memini. Iam lites sunt, & nondum indicaui. Qualis eris nouerca, quæ sic fieri culpis? Alter tuus est: alter tui frater est: si per te licuerit, neuter priuignus est. Dum alterius vis esse mater, utriusque es nouerca. Si coegeris, mentiar. non mater, sed nouerca decipieris. Hos ipsa noluit natura distingui. Indicarem, nisi tam pertinaciter quereres. Hic tuus est. quid alterum nouercalibus oculis intueris? Ille tuus est. Vni tibi contigit, ut habeas priuignum, & non sis nouerca.

**PARS ALTERA.** Filius enim rus ablegatus à patre, & educatus est sic, ut ignotus esse posset & marri. Tibi redit vterque filius, huic vterque priuignus. Ho crudelius filio caret, quo propius accessit. Times huius iniquitatem: cum iniquius ipse magis ames eum cui alterius vis donare matrem, quam cui non vis reddere suam.

**EXTRA.** Quod ad colorem pertinet viri. **HISPO ROMANVS & SILO POMPEIVS** hoc vñ sunt: Nescio, & ideo non indico tibi. **Quidam** miscuerunt etiam, & vtroque vñsi dixerunt: Nescio: sed etiamsi scitem, non indicarem tibi: quod **LATRO & CESENVS**. Sed **ASINIVS POLLIO** neutrūm colorē probabat. Si dicit, inquit, Nescio: nullī fidem facit. Vxor ipsa non quereret ab illo, nisi ille scire posset. Dici enim contra virum potest: **Quære à nutrice, à pædagogo.** Verissime nō est, neminem domi esse qui sciat. Ille autem mixtus color vtrumque corrupit, & ignorantis fidem, & non indicantis fiduciam. Nam cum dicit, Etiam si scitem, non indicarem: efficit ut illum iudex scire putet. cum dicit, Nescio: efficit ut videatur indicare deberet, si sciat. Hoc autem ipse colore vñus est, quem aiebat simplicissimum. Scio, sed non indico: quia pueris hoc vtile est, & tuo filio. Magis amatus sum eum, qui matrem videbitur non habere.

### CONTROVERSIA VII.

Tyrannicida, & adulter tyranni.

**L**EX. TYRANNICIDÆ PRÆMIVM DETVR. Thema, In adulterio deprehensus à tyranno gladium extorſit à tyranno, & occidit eum. Petit premium. Contradicitur.

**C**ONTRA TYRANNICIDAM. Non fecisset tyrannicidum, nisi illum tyrannus armasset, cuius adulterer non fuit, qui etiam tyranni fuit? Imputat nobis, quod deprehensus in adulterio mori noluit. Tyrannicida vester iure occidi potuit à tyranno. Certamen in pari conditione contractum publica fortuna distraxit. Non innocentior vicit, sed fortior. Tulit secum tyrannus gladium. sic enim occisiuri veniunt. Cur solus ad primum venis: tyranum certè occidisti cum adultera. Non loricam, clypeumve sumpsi, sed tenuem ac pér lucidam vestem: perfusus vnguento intravit cubiculum, in quo non esse tyranum diligenter agnouerat. Tyrannicida noster ne tyranum inueniret operauit. Duxat tyrannicidam in arcem tyranus, non vxor: podium, non amor: ascensurus ferat animum, ferat ferrum: eat illo, ubi inueniat tyranum. Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Sæpe honorata virtus est, etiam ubi eam fecellit exitus. Scelerá quoque quamvis extra exitum subfederunt, puniuntur. Nec infelix virtus amittit gloriarum titulum: nec gloriam virtutis interceptit fortuita felicitas. Nunquam maiorum nostrum prudentia tanzi munieribus tyrannicidum emeret, si illud etiam libido promitteret. Nono inauditoque more pugnabant, tyrannicida pro adultero, tyranus pro pudicitia. Occidisti tu maritum, fortuna tyranum. Tyranum cadere Reipublicæ volo. Occidit illum ciuis iratus, misceat maledicta vulneribus, qualia in adulterum maritus attulerat. Ab adulterio osculis ad primum curris. Nolo tyrannicida imiteretur, antequam occidat, tyranum. Pop. Romanus veneno vinci hostem noluit, proditione noluit. Honorabo subitum tyrannicidum: non honorabo fortuitum, non coactum.

**PARS ALTERA.** Non habebas, inquit, ferrum. Quid enim tyranno profuit quod habuit? In eo qui inertmis ad tyranum venit, non minor virtus est, sed periculum magius. Non queras quid in arcem tulerim: tyrranicidum retuli. non est gladius meus: sed manus mea est, sed animus meus est, sed consilium, sed periculum, sed tyrranicidum meum. Adulterium vocas, quo effectum est, ne quis timeat adulterium. Diligenter arce munita occasionem requires tentavi seruos, tentavi amicos: per vxorem solam fultus occasio. Non putauit adulterium, vxorem tyrañi polluere:

sicit

Sicut nec homicidium tyrannum occidere. Ferrum in ar-  
cem ferre, periculosem etat: inuenire, facile. Si tytannum,  
inquam, inuenero obuium, quælibet res telum erit. certe  
semper solet secum tyrannus habere ferrum. Gladius in-  
ter duos, fortioris est. Quam solitus fui adulter, ne non  
deprehenderer!

## CONTROVERSIA VIII.

Patronus operas remissas repetens.

**L**EX. PER VIM METVM VE GESTA, IRRITA SVNTO.  
Thema. Bello ciuili patronus vittus & proscriptus, ad  
libertum confugit. Receptus est ob eo & rogatus, ut operas re-  
mitteret. Remisit. Consignatio facta est. Restitutus indicit  
operas. Contradicitur.

**P**RO PATRONO. Patronus à liberto restitutionem pe-  
to. Si pacisci tunc à me voluisses operas, spopondissim. Bo-  
na bello perdi, ad restitutionem nudus veni. Nunc liber-  
torum operas desidero. Profer tabulas illas proscriptionis  
tabula crudeliores. Persequebat illa, quos vicerat: hæ per-  
secutæ sunt, quos receperant. In illa vltio fuit, in his per-  
fidia. Denique illa iam desit, hæ perseverant. Non mea,  
inquit, sed aliena vis fuit. Æquè dignus est pena, qui ipse  
vim adhibet, ut qui ab alio admota, ad lucrum suum vi-  
etur. In hunc primum incidi. Et dum timeo ne offendereim,  
secutus sum hoc exigentem. Non recepit me, sed inclusit.  
Nihil est venali misericordia turpius.

**P**ARS ALTERA. Nihil tibi opus est potestas. Scisti il-  
lum parere, etiam cum cogi non potest. Quælibet indicas  
operas, nunquam tamen iudices ita periculosas, quam in-  
dixisti. Habeo iudicia tua. Bene de seruo iudicasti, manu-  
misisti. bene de liberto. Proscriptus mihi potissimum te  
commisisti. Si noluissem patronum habere, potui. Vnus ex  
proscriptis fuisti qui tunc posses etiam rogari. Restitutio  
tibi proscriptionem remisit, non quicquid in proscriptione  
gessisti, rescidit.

**E**XTRA. Omnes inuesti sunt in libertum. **VALLIVS**  
**GEMINVS**, ET **OTHO IVNIVS** egerunt lenius, ut pa-  
tronus remissurus videretur operas, si obtinueret. Nam

Otho dixit. Sine me iudicio meo videri remisisse. Faciam, remittam. Quid me sic times, tanquam iniutus promisi? Contra CESTIVS ait: Tunc huiusmodi vtendum esse coloribus, vbi verendum est, ne videamur rem duram postulare. Vbi contra honestam personam, promisso iudex molliore fallendus est. Quid in hac persona vereinur & causa? nisi hoc unum, quod ex hoc colore metuendum est, ne, si volumus haec remittere, etiam voluisse videamur.



EPITOMÆ  
M. ANNÆI SENECAE  
CONTROVERSIARVM  
LIBER QVINTVS.  
\* Epistola deest.\*

CONTROVERSIA I.

Laqueus incisus.

**A**CTIO. INSCRIPTI MALEFICII SIT ACTIO. Thema. Quidam naufragio facto, amissis tribus liberis, & uxore, incendio domus, suspendit se. Precidit illi quidam ex prætereruntibus laqueum. A liberato reus sit maleficus.

PRO INCIDENTE LAQUEVM. Tres, inquit, liberos perdidit. Utinam & illos seruare potuissim! Viue. mutantur vices felicitatis humanæ, proscriptus aliquando proscriptus. Victi fugiunt, proscripti latent, natant naufragi. Amisi, inquit, uxorem, liberos, patrimonium. Tu putabas ea te conditione accepisse, ne perderes? Ludit de suis fortuna muneribus, & que dedit, auferit; & que abstulit, reddit: nec unquam tutius est illam experti, quam cum locum iniuriaz non habet. Ch. Pompeius in Pharsalia vixit acie, vixit. Maius tu ruum putas esse naufragium? Crassus vixit: & non priuatas perdiditerat, sed publicas opes.

opes. Omnia tibi fortuna abstulit, sed spem reliquit. Tolle spem hominibus, nemo victus retentabit arma, nemo infeliciter expertus negotiationem, alios appetet quæstus, nemo naufragus viuet. Spes est ultimum aduersarum retum solatum. Ut viueres, natasti. Misericordia sum: nec in te amplius quam periculum cogitavi. Non attendi incendium, non orbitatem: aut si attendi, memineram te post illa vivisse. Non visus es mihi animum moriendi habere. Legeras locum, in quo interpellari posse.

PARS ALTERA. Tot ille fundorum dominus, aliena arbore suspendo laqueum. De fortuna nihil queror: mori permittit. Nunc, inquit, morete. Iniuria est, ut qui meo arbitrio debui, tuo moriar. Amisi vxorem, liberos, patrimonium. Fortuna milii nihil præter laqueum reliquit: iste nec laqueum. Sumpsi instrumenta mortis, solitudinem & laqueum: alterum aptum morituro, alterum misero. Quisquis interuenieris, si amicus est, desce: si inimicus, specta. Cum à me iste accusetur, grauiorem de me quam de reo ferte sententiam. Ego, ut moriar: iste, ut ne prohibeat. Ne hæc narrarem, mori volui. Præcedit remedium meum. si qua fides est, non enatani, sed eiectus sum. Nihil iam timebam, nisi viuere. Domus mea fata claudio, nullo miserior, quam quod ultimus morior. Cui me vita reseruas? Ut ædificem? Aspice incendium. Ut natigem? Aspice naufragium. Ut educem? Aspice sepulcrum. In tam calamitosa domo feliores fuistis, vxori & liberi. vobis mori contigit.

## CONTROVERSIA II.

Gener diuitis inimici.

**T**HEDA. Pauper cum haberet filium, & diuitem inimicum filiam habentem, peregre profectus est. Rumor suus de morte eius. Filius cum diuite in gratiam rediit, & eius filiam duxit. Reversus pater cogit illum uxorem repudiare. Nolentem abdicat.

**PRO PATRE PAUPERE.** Nemo quicquam facilè credit, quo credito dolendum sit. ego diu non credidi de nuptiis tuis. Defector patris, inimici cliens, vxoris mancipium,

non fecisti patrem, non quæsiuisti, sic inimico placuisti. Rumor, inquit, fuerat, decepsisse te. Mirabar, si talem uxorem viuo patre habere potuisses. Non queris, ubi perierim. Mors mea tibi debet esse suspecta: inimicum habeo. Quis alias hanc famam potuit immittere, nisi qui me viuo, filiam collocare non poterat? Non times, ne inter ipsas nuptias tuas patris ossa referantur? Tot serui sequuntur, tot liberi, tot clientes, ut quidquid dixerit, rumor sit. Fabricius aurum à Pyrrho accipere noluit. beatior iste fuit animo, quam ille regno. Plures insidias in itinere fugi: & factum diues, quod faciendum mandauerat, credidit.

**PARS ALTERA.** Vanum gloriæ genus, odium diuinitatum. Mortales esse inimicitæ debent. Scipio Gracchi inimicus, & tamen postea sacer. Cuius vitio inimicitæ tractæ sint, appetit. Ille amat filium tuum, tu nec tuum.

**SENIANVS** rem stultissimam dixit: Diues me semper contempsit, nunquam nisi pro mortuo habuit. Ut aliquid & ipse simile de Seniano dicam, post hanc sententiam Senianum semper pro mortuo habui.

### CONTROVERSSIA III.

Fratres pancratiaſtæ.

**A**CIO. MALA TRACTATIONIS SIT ACTIO. Thema. Duos filios quidam pancratiaſtas instituit, ad olympia eduxit. Cuius compoſiti eſſent, ut ſimul pugnarent, accessit ad pugnantes pater, & ait abdicaturum ſe, ſi quis perdiuerit. Commoruiſunt iuuenes, & decreti ſunt hiſ honores diuini. Reus fit pater mala tractationis ab uxore.

**CONTRA PATREM.** Tertius sine forte pugnasti, & vtrumque viciſti. Stetit cruentus pater. Iam perierant, & adhuc minabatur. Moriuntur, non alter ab altero, ſed vtexque à patre. Misera mater, odiffe non potest, qui filium ſuum occidit. Iuuenes iniucti, niſi habuiffent patrem. Pij iuuenes, nec parricidium patri negare potuifſis. Vincere propter parricidium nolunt, vinci propter abdicationem. Abdico, inquit, eum qui vicitus erit. Demens meliorem abdicaturus

dicaturus es. Inuoco Iouem , cuius Olympia parricidiis  
absoluta sunt.

**PARS ALTERA.** Non facturus dixi: et si facturus pro  
gloria eorum dixi. Non debo in inuidia solus esse , cum  
luctus communis sit. Omnes aiebant collusuros fratres.  
Minatus sum, non ut necessitatem filii imponerem, sed ut  
populo satisfacrem.

## CONTROV. IV.

Damnatus parricidij alligans fratrem.

**L**Ex. QVI FALSVM TESTIMONIVM DIXERIT,  
VINCIATVR APVD EVM IN QVEM DIXIT. The-  
ma. E duobus filius profectus cum uno pater, adolescens solus  
rediit. Accusatus est à fratre parricidij , & damnatus. Die-  
bus festis intercedentibus poena ex lege dilata est. Rediit pa-  
ter. Accusauit damnatus fratrem falsi testimonij & obinuit,  
& vinxit. Cogit pater ut vinclum soluat. Nolentem abdi-  
rat. C.D.

**PRO PATURE.** Falsum , inquit , in fratrem testimonium  
dixit. Si vis graue illius crimen facere, te exorabilem præ-  
sta. Crudelis in fratrem miraris , si in te creditum parrici-  
dium est ? Ergo ego duos filios habere non possum ? Ado-  
lescens iam potes & parricidium facere. Alligatus est alter  
filius , quia non reuertebar : alter, quia redij. Nunquam  
solues fratrem ? Si talis es , nihil testis mentitus est. Par-  
ricida es. Non impio in te , sed in patrem pio animo dixit.  
Suspictum habuit, quod reliqueras patrem. Inter catenas  
filij iaceo , eodem clausus ergastulo. Ingrate , testem tuum  
simul alligasti.

**PARS ALTERA.** Meo periculo solutus sum, meo alliga-  
tus. Vix solui poterat, si testimonium falsum pro fratre di-  
xisset. Parricidium de patre finxit, de fratre commisit. Ve-  
nisse patrem mihi carnifex nuntiauit. Parricida sim , sicut  
obiicitur, hoc leuiter irascor. Miraris , si eum fratrem alli-  
gare possum , qui me potuit occidere ? Ingrata erat ipsa  
poenae meæ dilatio. Expectare grauius videbatur quam pa-  
ti. Imaginabat mihi culeum , serpentes, profundum.

## CONTROVERIA V.

Exulta domus cum arbore.

**L** EX. QVI SCIENS D AMNVM D EDERIT, REDDAT  
QVADRUPLEM: QVI INSCIENS SIMPLVM. Thoma.  
Dives pauperem vicinum rogauit, ut sibi venderet arborum  
quam sibi dicebat obstat. Pauper negauit. Dives incendit  
planiatum. cum qua & domus arset. Pro arbore pollicetur qua-  
druplum, pro domo simplum.

**C**ONTRA DIVITEM. Excitatus flamarum sono, vi-  
cinorum primo fidem implorauit, Arbor ramis discurrenti-  
bus totam domum texerat. Non potest exortari? incenda-  
tur. Est hoc impotentia, sine fine concupiscere, sine modo  
irasci. Non potest expugnari precibus: expugnerit ignibus.  
Nihil inter me & pauperem interest, si iure agamus. Liceat  
& pauperem gaudere prospectu. Vos possidetis agros, vi-  
bium fines, urbēsque dominibus impletis. Intra ædificia ve-  
stra vndas & nemora comprehendenditis. Nihil latius oculis  
tuis occurrit, quam ruinæ meæ. Domum perdidisti, qui ca-  
rere nec arbustula quidem poteram. Delicis tuis diues ar-  
dehimus. Oculis voluptas incendio queritur, & prospectus  
ignibus laxatur. Prospectui obstabat. Quid? inambulantib.  
nobis non obstant seruorum ceteræ? in immensam exci-  
tati altitudinem parietes lucem non impediunt? Infinitis  
porrectæ spatiis ambulatione, & vrbium solo adficiata  
domus, non nos propè à publico excludunt? Sub hac ar-  
buscula imaginabat dicitum silvas. Quantum perdidisti,  
quem facetus iratus inimicus plus perdidisse quam vo-  
luit? Non iniquum postulo. eius damno desinat incen-  
dium, cuius consilio coepit. Scilicet ut domus ad cœlum  
omne conuersæ, brumales æstus habeant, æstiu frigora, &  
non suis vicibus intra istorum penates agatur annus: alent  
in summis culminibus mentita nemora, & nauigabilium  
piscinarum freta arata quondam populis rura, singulorum  
tunc ergastulorum sunt: latiusque nunc villici quam reges  
imperant. Maria submouentur projectis molibus. Nescie-  
bat quanta sit potentia ignium, quam irreuocabilis, quem  
admodum

admodum totas absunt urbes, quām lenibus initis oriantur incendia? Etiam si patrem damni dare noluisti, si tamen noluisti, in totum quāsi prudens dederis, tenendus es. ex toto enim noluisse debet, qui imprudentia defenditur. Si fatereris scienter ianuam incendiisse, si unum tignum, puto tota domus intelligeretur ex parte, nec enim quisquam omnia incendit, sed unam aliquam rem, ex qua surgat in omnia se sparsus ignis. Atqui pars domus est arbor quae in domo est.

PARS ALTERA. Pestilentem mihi domum faciebat arbor. cœlum omne per quod salubris spiritus venire posset, obduxerat. rogaui pauperem, & dixi: Nihil tibi nocet arbor recisa, mihi plurimum non recisa. Quid ad te illi rami pertinent, qui extra domum sunt? Quafdam partes domus meæ rami premebant. Iam etiam quosdam parietes mouerant. Scitis quanta vis sit arborum? muros discutiunt.

## CONTROVERSIA VI.

Raptus in veste muliebri.

**L**Ex IMPUDICVS CONCIONE PROHIBEATVR. Them. Adolescens speciosus sponsionem fecit, muliebri ueste se exiitum in publicum. Processit. Raptus, est ab adolescentibus decem. accusauit illos de vi & damno. Concione prohibitus à magistratu, reum facit magistratum iniuria.

CONTRA ADOLESCENTEM. Muliebrem uestem sumpsisit, capillos in sceminæ habitum composuit, oculos puellari lenocio circumdedit, colorauit genas. Non creditis? & qui non crediderant, vieti sunt sponsione. Et hoc de sponsione forsitan venerat, ut auderet impudicus concionari. Dare illi uestem, puella est: date nocte, rapietur. Sic illum vestis sumpta decuit, ut videretur non tunc primum uestem sumpsisse. Facta totius adolescentiæ remitto. Una nocte contentus sum: sic imitatus est puellam, ut raptore in inueniret. Nunquid cecinai? Nunquid carmen famosum composui, aut (ut proprium iniuriæ tuæ dicam) nunquid rapui? Apud patres nostros, qui forensia stipendia auspica-

bantur, nefas putabatur brachium extra togam exercere. Quām longē ab his moribus aberant, qui tam verecunde etiam virtute vtebantur? Constat hunc stupratum: cum damnati sint, qui rapuerunt.

PARS ALTERA. Constat semper grauem, semper scirium fuisse. Sed hoc iocis adolescentium factum est. Ceterum tam nota erat verecundia eius, ut nemo sine sponsione crediderit.

## CONTROVERGIA VII.

Trecenti ab imperatore non recepti.

**L** EX NOCTE PORTAS APERIRE IN BELLO NON LICEAT. Altera. IMPERATOR IN BELLO SYMMAM POTESATEM HABEAT. Thema. Trecenti ab hoste captiui ad portas nocte venerunt. Imperator non aperuit. Ante portas occisi sunt. Imperator post victoriam reus est laevis publica.

PRO IMPERATORE. Non putauit meos. Nouerant legem. Cur, inquit, trecenti perierunt? immo cur ne perirent, capti sunt? Hos ego interdiu non recepissem, nisi victores noctu, ne victores quidem. Procedens postridie in praelium, pugnaturus ostendi trecentos, in quibus laudari nihil potest praeter fugam: nihil desiderari, praeter numerum. Fugiunt, ut leges relinquant, redeunt, ut tollant. Populus Romanus Cannensi prælio in summas redactus angustias, cum seruorum desideraret auxilia, captiuorum contemptit: & creditit eos libertatem magis tueri posse, qui nunquam habuissent, quām qui perdidissent. Nocte quomodo hostem ciuemque distinguam? Quam mihi dabis notam, ut arma cognolcam? Credo in infidis hostes fuisse, ut exclusos occiderent, sequerentur admissos.

PARS ALTERA. Infestus illis trecentis fuit. iniquo eos collocauit loco. hoc ne argui posset, non recepit. Capti sunt. fortissimi duces, Regulus, Crassus. Hæc postrema rogantissima vox erat: Mitte arma, ceteræ lex non vetat.

CON-

## CONTROVERSIA VIII.

Tyrannus post abolitionem candidatus.

**L**EX. COMPETITORI LICEAT IN COMPETITOREM DICERE. Thema. *Tyrannus sub abolitione dominationem depositus, ut si quis obsecisset tyrannidem, capite puniretur. Petit magistratum, competitor contradicit.*

CONTRA TYRANNVM. Candidatus anno meo spondeo, nulla rapietur, nulla occidetur, nullum spoliabitur templum. Cur honores tamdiu non gesserit, narret, per communem deprecos libertatem. Moriar, obicietur tibi quod occideris civem. Vult aliquo imperio, aliqua potestate distingui, homo magnae nobilitatis, magnae gratiae, ingentis pecuniae. Siciliæ dicitur fuisse dominus, qui inclusos æneis tauris homines subiectis vrebatur ignibus, ut multum ederent, verba non possent. O hominem in sua crudelitate fastidiosum: qui cum vellet torqueare, tamen nollebat audire.

PARS ALTERA. Quicquid egi, quicquid gessi, causa Reipublicæ feci. Peto ne mihi lex pro me lata noceat, neque quid noceat, quia non obiicitur quod non noceret obiectum.



## M. ANNÆI SENECAE CONTROVERSIARVM LIBER SEXTVS.

## CONTROVERSIA I.

Chirographum cum abdicato.

**T**HESA. Abdicato fratri, frater chirographum dedit, dividiam se partem hereditatis daturum, si non responset irato patri. Ille tacuit. Abdicatur alter a patre.

Ex M. SEN. CONTROV.

304

PRO PATRE. Tantum æris alieni haberet quantum viuo patre non posset soluere. Vis scire cuius fidei sis? nec frater quidem tibi sine chirographo credidit. Alterius spe major, alterius fide. Viuo: & iam patrimonium meum diuisum est. Nisi succurriris, vincit me & ille qui tacuit, non dissimulo me hodie duos abdicare. Chirographum prode patricidarum fœdus, & nefariæ spei pactum. Chirographum danti impium, accipienti turpe, patri periculoseum.

PARS ALTERA. In omnem me forturam, frater, tibi iungam comitem. Si militandum, vna milirabimus: si peregrinandum, vna virbes peragrabimus: si quotidianam rogaueris stipem, & illam tecum diuidam. Nolui recentem iram exagitari patris. Malui, ut tacendo patrem vinceres. Meæ partis heres ero, tuæ custos. Et quia de re maxima melius sibi quisque credit, do chirographum: tu da operam, ut istud magis à patre accipere, quam à fratre videaris. Hoc quod honestè, & quod piè gerebamus, tam palam egimus, ut pater sciret. Quid enim timebam, nisi, si resciasset pater moleste ferret filium suum, hominem aurum non esse, fratrem pium? Ita mihi contingat patrem utriusque nostrum placari.

CONTROVERSSIA II.

Exul pater fundo prohibitus.

LEX. EXVLEM TECTO ET CIBO IVVARE NON LICET. Altera. IMPRDENTIS CADIS DAMNATVS QVINQENNIVM EXVLET. Thema. Quidam cum filium & filiam haberet, imprudentis eadis damnatus, in exilium proiectus est. Solebat venire in possessionem vicinam finibus. Rescissus hoc filius. Occidit villicum. Villicus exclusit patrem. ceperit ire ad filiam. Accusata illa, quod exulet recipisset, adiutorio fratre absolta est. Post quinquennium pater abdicat filium.

PRO PATRE. Accusator ciuium me fecit exulet: filius etiam meorum. Filiam honestiorem inueni, quod accusata est: seruum frugaliorem, quod cœsus est. Male meruisti de patre, quem exclusisti: de sorore, cui præjudicio nociuisti: de iudicibus, quos in tam bona timuisti causa.

Aut

Aut tu peccasti, aut soror. Filius me docuit, quod illum non recipio. Absoluta est, inquit, me aduocato, soror. Ita zu patrem non recipiebas, cum tam bene istam causam agere posses? cum absoluta sit quae receperat, damnatus est qui non expulerat? Filia me patrem iudicauit, seruus dominum. Vni filio exul fui. Ignosce fidelissime seruulorum, & tibi imprudens nocui. Quam bonam eius causam putas fuisse, quae ne te quidem aduocato damnata est? Si te herede possum mori, dignus sum, qui etiam tibi hunc seruum relinquam. Alij exul est, tibi pater est. Nulla lex feci us imperat. Certe quae fecit absoluta est. Lex eum tenet, qui iuuat exulem, non qui patiatur iuuari Ignora, dissimilia, lex te innocentem esse, non curiosum iubet. Si mea causa faciebas, me admonuisses: seruum prohibuisses, non cæcidissem.

**PARS ALTERA.** Facere lege prohibente non potuit. Accusata & absoluta est: quia muliercula non videbatur nosse leges. Non pro me timui, sed pro te. Res in notitiam hominum venerat. Captabaris, timui, ne occidereris. Vis scire notum fuisse? Soror accusata est. Malum seruum cædere frugalissimum, quam patrem optimum amittere.

### CONTROVERSIA III.

Mater nothi, lecta pro parte.

**L**EX MAIOR FRATER DIVIDAT PATRIMONIVM, MINOR ELIGAT. Altera. LICEAT FILIVM EX ANCILLA TOLLERE. Thema. Quidam cum haberet legitimum filium, alium ex ancilla sustulit, & decessit. Maior frater sic diuisit, ut totum patrimonium ex una parte poneret, ex altera nothi matrem. Minor elegit matrem, & accusat fratrem circumscriptio[n]is.

**PRO NOTHO.** Vnus omnium exheredatus sum diuidendo. Elegisset, inquit, alteram partem. Tu solus talis perceperisti esse filius, qualis frater eras. Lex te diuidere, me eligere iussit. aperte, ne minor circumscribatur, timeret. Sic diuisit, ut si vellem non esse mendicus, relinquere fratrem in egestate, matrem in seruitute. Non est diuidere, ex altera parte patrimonii ponere, ex altera onus. Talis fuit,

vt illi coheredem pater ex ancilla tolleret. Elige, vt aut patrimonio careas, aut scelere. Circumscriptores dici solent, qui aliquid abstulerunt. iste nihil reliquit. Tu, inquit, voluisti pauper esse. Curigitur queror, si egestate delector? Obiici, inquit, non potest, quod lege factum est: immo nihil nisi quod lege factum est. Nam si quid aliter factum est, per se irritum est. circumscriptio semper crimen sub specie legis inuoluit. Quod apparer in illa, legitimum est: quod latet, insidiosum. Semper circumscriptio per ius ad iniuriam venit. Lex iubet maiorem diuidere, minorem eligere, nec tu diuisiisti, nec ille elegit. Sic à te alligatus est, vt necesse haberet, quod non expediebat, malle. Nota fuit in matrem meam pietas. Non timuit, ne eligeat possem alteram partem.

**PARS ALTERA.** Ego nihil aliud quam diuisi. Circumscrip<sup>tio</sup> non in diuisione est, sed in electione. Habes matrem, quam quidam totis redemerunt bonis: habes gloriam, quam per ignes quidam, multi per arma quaesierunt. Multa de patrimonio rapuit, cum haberet ius domin<sup>e</sup> ancillæ impudentia. Timebas, ne in illam auirem. Non expediebat mihi, cum in illa totum patrimonium habitutus essem? Nunc tantundem habes; habes enim partem quam voluisti vt tantundem haberet, nec pater voluerat. ideo matrem tuam ancillam reliquit.

## CONTROV. IV.

Potio ex parte mortifera.

**A CTIO. VENEFICII SIT ACTIO.** Thema. Proscriptum uxoris secuta est. Quodam tempore secreto poculum tenorem interrogauit, quid esset. Ille dixit venenum: & mori se velle. Rogauit illa ut partem sibi daret: & dixit, se nolle sine illo vivere. Partem bibit ipse, & partem uxori dedit. Periit illa sola. Testamento inuentus est maritus heres. restitutus arguitur veneficij.

**CONTRA MARITVM.** Sic egit, vt deprehenderetur, sic deprehensus est, vt exoraretur: sic bibit, vt viigeret. Quid est illud venenum, quod tantum heredi non nocet? Nemo vnuquam tam palam vxori dedit venenum. Fugit, ne occideretur, qui dixit se mori cupere. Vnus proteritione,

ptione locupletior factus est. ut viuere vellet vxor illi persuadere non potuit. persualit res blandior, vxoris hereditas. Scivit quam partem potionis hauriret. Contrarias partes gladio persecutus est, suas veneno : occidendi finem prius victores fecerunt, quam vieti. Iam quid putabatis futurum, cum in exilium vxor testamentum tulisset, maritus venenum? Vbi est vxor? Ecquid te pudet? Etiam proscripti redeunt. Statim consumpta potionе collapsa est. Nolite mirari, si tam efficax venenum est. heres est, qui dedit. Summis fere partibus leuis & innoxius humor suspenditur, grauis illa & pestifera pars suo pondere subsidit. Apparet te diu præparatum venenum habuisse. scisti diuidere. Et iam si potest defendi qui volenti dedit, tu potes, qui fecisti, vt vellet? Id genus veneni fuit, quod pondere subserderet in iam potionem. Bibit iste usque ad venenum, vxor venenum.

PARS ALTERA. Virum in pace dilexit, in bello fecuta est, in consilio ultimo non reliquit. O, inquit, dignum, quem innocens sequatur. Bello ciuili lege proscriptus sum. Exulaui. Quid his malis adiici potest, nisi ut venenum bibam & viuam? Venenum, inquam, est. Hoc qui daturi sunt, dissimulant. Venenum Cato vendidit. Quæritez an proscripto licuerit emere, quod licuit Catoni vendere,

## CONTROVERS. V.

Iphicrates reus.

**L**EX. QUI VIM IN IUDICIO FECERIT, CAPIT<sup>E</sup> PVNIATVR. Thema Missis Iphicrates aduersus Thracum regem, bis acie vicitus fœdus. cum eo percussit & filiam eius duxit uxorem. Cum Athenas rediisset, & causam dicere, usi sunt circa iudicium quidam Thracum cultu armati, & ipse resis gladium strinxit. Cum iudices citarentur ad iudicandum, palam absolucionis tulerunt sententias. accusatur, quod vim in iudicio fecerit.

CONTRA IPHICRATEM. Nemo iudicium tuorum non timuit, sic tanquam tu de illis iudicaturus es. Cum toto tibi regno sacer venit aduocatus. Non maioribus

copiis bellum instruxit, quām iudicium. Iphicrate, conde gladium. Iudicium est. Quid tibi cum gladio? Certe bis vīctis arma ponenda sunt. Quā est ista contra rerum natūram permutatio, in bello nuptiæ, in iudicio bellum?

**PARS ALTERA.** Ego vim non feci. Omnia enim legiti-  
time peracta sunt. Accusator suo loco dixit: reus suo re-  
spondit. perfectum per omnes numeros suos iudicium est.  
Cum iudices sententias suas ferrent, strinxit glādium, vt  
occiderem me, si damnatus essem. Iudices tulerunt palam  
absolutoriās, vt gratiam duci suo referrēt. Nuptiarum cau-  
sa, vtilitas Reipublicæ fuit. Miles sāpius puluis erat infe-  
lici p̄celio. Barbaros circa iudicium fuisse, non propter iu-  
dicium armatos, sed propter morem suum. Quid potestis,  
inquit, queri? Quot obsides vobis abduxī?

### CONTROVER. VI.

Adulteria venefica.

**A**CTIO. VENEFICIT SIT ACTIO. Thema. Quidam  
cum haberet uxorem, & ex ea filiam nobilem, indica-  
uit uxori, cui eam collocaturus esset. Illa dixit: Celerius mo-  
rietur, quam illi nubet. decessit puella ante diem nuptiarum,  
dubitis signis crudeliter & veneni. Torsit ancillam pater. di-  
xit illa se nihil scire de veneno, sed de adulterio domina, &  
eius cui collocaturus erat filiam. Accusat uxorem veneficij  
& adulterij.

**CONTRA UXOREM.** Morietur. teneo veneficam, cele-  
rius quam nubat. teneo adulteram. Morietur. factum est.  
celerius quam nubat. factum est. Adulterium serius depre-  
hendi quam factum est, veneficium antequam fieret. Duo  
crimina ad vos detulit, & duas indices. altera dicit, quod  
factum est: altera, quod futurum est. Generi adultera, filię  
pellex. Quam infelix est domus, in qua adulterium argu-  
mentum est? Dixi, Honestus est: dixi, puicher est: dum  
laudo generum, commendaui adulterum. O me tardissi-  
mum in malis meis. veneficium nec denunciatum quidem  
credi: adulterium veneficio deinceps deprehendi. Versæ  
sunt in exequias nuptiæ, mutansque genialis lectus in fu-  
nebrem. subiectæ sunt rogo infelices faces, profertur pu-  
tre corpus, & venenis tumens. Quid vltra queritis? Verbis  
signa; signis tormenta conueniunt. Ad vocem tuam facta

con-

conueniunt. Morietur antequam nubat: factum est. Vidi-  
mus fluens corpus, & in cadaquere illius materna verba cre-  
didimus. Generum in adulterio perdidit, vxorem parrici-  
dio, filiam veneno.

**PARS ALTERA.** Duo grauissima crimina obiicit, adul-  
terium & beneficium. adulterium ancilla teste: benefi-  
cium, nec ancilla quidem. Cum indignaretur se non roga-  
tam, exciderunt illa verba, quæ non minus quam patet si-  
liam luget. At quare dixisti? Celerius morietur, quam illi  
nubat? Verba dolori parum considerata exciderunt. Et  
sæpe fortuita diuinatio.

## CONTROV. VII.

Demens qui filio cessit uxorem.

**A**CTIO. DEMENTIA SIT ACTIO. Thema. Quidam  
habebat duos filios: duxit uxorem. Alter ex adotescen-  
tibus cum agrotaret, & in ultimis esset, medici dixerunt an-  
nimi vitium esse. intravit ad filium stricto gladio pater, re-  
gauit ut indicaret causam sibi. Ait, amari à sa nouercam.  
Cessit illi uxorem pater. Ab altero accusatur dementia.

**PRO PATRE.** Audite rem nouam: fratrem crudelēm,  
nouercam misericordem. Insanus sum, quia aliquis meo  
beneficio sanus est. Tradidi uxorem illi: sed eripueram.  
Testor, inquit, præsides pietatis deos, amare antequam du-  
ceres. Ita tu iniuriam vocas, quod fratrem habes, non ha-  
bes nouercam? Transi præter istius oculos cum ferro.  
gladium mihi nemo nisi æger extorsit. Patri, qui pericu-  
lum filij morientis sustinere non potuit, ignoscendum in  
qualicunque facto est.

**PARS ALTERA.** Alter lenocinio curauit, alter parrici-  
dio conualuit. Quid hoc adulterium non putas, quod ma-  
rito conciliante committitur? Nescio furiosus uxorem du-  
xerit, an habuerit, an dimiserit, an collocauerit. Quam de-  
mens est, cui adulterium pro beneficio imputandum est?  
Strinxit gladium maritus, non ut adulterium vindicaret,  
sed ut faceret. Mori potius debuit frater quam sanari tur-  
piter. Quid enim si matrem, si sororem concupisceret?  
Quædam remedia grauiora ipsis periculis sunt. Omnia in-

ter nouercam & priuignum composita sunt. Simulatum  
morbum, derisum animo turpissimo patrem.

## CONTROV. VIII.

Versus virginis Vestalis.

THEMA. *Virgo Vestalis scripsi hunc versum:**Felices nupta. moriar, nisi nubere dulce est.**Rea est incesti.*

CONTRA Vestalem. *Felices nupta, cupientis est. Moriar,*  
*nisi, affimantis est. Nubere dulce est.* Aut experta iuras, aut  
inexperta peieras. Neutrum sacerdos est. Tibi magistratus  
suos facies submittunt. Tibi consules pratorumque via  
cedunt. Numquid exigua mente virgo es? Sacerdos raro  
iuret, nec unquam nisi per suam Vestam. Moriar. Num-  
quid perpetuus ignis extinctus est? Moriar. Numquid de  
nuptiis appellata es? Ad ultimum Vestam inuoco, ut tam  
infesta sit sacerdoti, quam iniusta est. Recita carmen, dum  
quero quale carmen sit, tu carmen scribas, tu verba pedi-  
bus suis emollias, & leueritatem templo debitam modula-  
tione frangas? Quod si vix laudare vis nuptias, natra  
Lucretiam: de illius morte scribe, antequam iures de tua.  
O te suppicio omnia dignam, cui quicquam sacerdotio fe-  
licius est. Dulce est, quam expresa vox, quam ex imis vi-  
sceribus emissa, non experta tantum sed delectat! Incesta  
est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum.

PARS ALTERA. *Vobis illi versus obicitur, & hic qui-  
dem non totus. Non oportet, inquit, scribere cæmen. Mul-  
ti in interest, obiurges an punias. Incesti damnati nulla po-  
test, nisi cuius corpus violatum est. Quid tu putas poetas,  
qui sentiunt, scribere? Vixit modeste, castigate. Non illi  
cultus luxuriosior: non conservatio cum viris licentior. V-  
num crimen vobis consistet: ingenium habet. Quidni illi, quæ Ca-  
ronem peperit? quidni inuidenter sacerdores parentibus?*

EXTRA controvèrsiam. Varius Geminus apud Cesarem  
dixit: Cesar, qui apud te audent dicere, magnitudinem  
tuam ignorant: qui non audent, humanitatem,



## EX LIBRO SEPTIMO CONTROVERSIARVM.

### DECLAMATIO I.

Ab archipirata filio dimissus;

**D**OBVS filius quidam superduxit nouercam. Alterum domi parricidij damnauit. tradidit fratri puniendum. ille eum exarmato nauigio invosuit. Delatus adolescentis ad piratas, archipira factus peregrinantem patrem cepit, & remisit. Reuersus pater abdicat filium.

Contr. I. lib. 7.

**D**ECRAMATIO. Tanta tempestate confusus dispergere nihil potui: nec satis memineram, tale ministerium mihi pater an nouerca mandasset: ministerium an pœnam esse voluisset: vindictam parricidij an parricidium. Insui fratrem culeo iubes? non possum. Non ignoscis, an non credis? ego contendone te quidem posse. Nemo repertus est naufragij comes, omnia instrumenta circumcisiva sunt. Adminiculum spei nullum. Patri sum excusandus, an fratri? Hoc pietatis tuæ munus ad inferos perferam, licuisse mihi per fratrem aliter quam parricida mori. Vuit, inquit, frater, non credo. Seruavit, inquit, me. fecisti ut crederem. In domo, in qua tamen facile parricidium creditum est, ego fratrem occidere non potui, frater patrem. Emicabant densis vndique nubibus fulmina, & tempestates horridæ absconderant diem, intumuerat mare, iustis quoque nauigiis horrendum. Habes, inquam, frater, si innocens es, nauigium: si nocens, culeum. Non potui facere parricidium. quam facile erramus omnes, & factum putavi. Frater, inquit, tu primus in domo parricidium facies. Iaciebat in littore nauigium, quod etiam integrum infeliciter vexerat. Credam parricidam, si tibi proficienti nauigium suum reddidit. Subito mihi animo pariter excidit ferrum, & nescio, qua perturbatione tenebrae stu-

pentibus offenduntur oculis. intellexi quam difficile esset parricidum facere, etiam quod imperasset pater. Ita mihi, quæ sola miseris in domo nostra respicit; fortuna succurrat. Profectus pater tranquillo mari, auspicato inire, integræ nauis. Quid hoc est? feliciter nauigavit damnatus, quam qui damnauerat? Vtrum videtur vobis innocentiam apud piratas didicisse, an ne apud piratas quidem perdisse? Perieras pater, nisi in particidam incidisses. Scissa quoque vela fecerant sinus, & instructas classes naufragia præcesserat nauis. Scires nauigare, qui seruaturus esset patrem. Erat nauigium, imo fuerat, crudelis, & pertinax nouerca, nihilominus sanis! maria iam quiescunt, prædones miserentur, irati parcunt. Veni ad vos, vt probem me parricidam. Multa rerum natura mortis vias aperuit, & multis itaeribus fata decurrunt. O maria iustiora iudiciis! O mitiores procellæ patre! Non putatis misericordem, qui quem damnauit, fratri puniendum dedit? Centurio Mithridatem non potuit occidere: Mithridatem, dij boni, quam non dubium parricidam! Gaudet pater, neuter ex filiis tuis parricidum fecit. Narra pater, quo modo te dimiserit, sic dimissus. Nocens est iste, sed mihi frater est. Naturæ iura sacra sunt, etiam apud piratas. Dixisse, inquit, te non posse. Ita tu nesciebas? Non licuit, non debui, non potui.

**PARS ALTERA.** Nega nunc parricidam fuisse, quem scis esse piratam. Dimisit me in patrocinium suum, vt quia non occiderat, videretur nec ante voluisse. Quis porto me yno miserior est? Vitam parricidæ debedo.

**EXTRA.** Magna bonorum rhetorum manus in hanc partem transit, ut aliquid dici debuerit in nouercam. Fuerunt & illi, qui non quidem palam dicerent, sed per suspicionem & figuram: quod PASSIENVS non probbat, affectans minus verecundum esse aut tolerabile, infamare nouercam quam accusare. Quidam principia tantum habuerunt in sua potestate: post ablati sunt imperii. Excusatus est autem in malum colore incidere, quam transire. HISPANVS duro colore vsus, hoc se tanquam grauius elegeret dixit supplicij genus, qui color prudentibus displacebat. Quam enim spem habebat absolutionis, si nec patitur, nec pepercit?

## DECLAMATIO II.

Popilius Ciceronis interfector.

**D**E MORIBVS SIT ACTIO. Popilium parricidij reum Cicero defendit, absolutus est. Proscriptum Tullium ab Antonio missus occidit: caput ad Antonium retulit. Accusatur de moribus.

Contr. 2. lib. 7.

**DECLAMATIO.** Occidit Ciceronem Popilius. Iamne creditis occisum ab isto patrem? Occisurus Ciceronem debuit incipere à patre. Antonius, inquit, iussit. Non te puderet Popili? Imperator tuus te creditit posse parricidium facere. Abscidit caput, amputauit manum. Minus in illo crimen est, quod Ciceronem occidit. Prò dij boni, occisum Ciceronem malos mores voco. Hoc vnum feliciter, quod ante occidisti patrem, quam Ciceronem. Facilius pro parricida Cicerio iudicem mouit, quam pro se clientem. Ad vos hoc patroni spectat exemplum. Nulos magis edit Popilius, quam quibus plurimum debet. Abscidit ceraices. Parce iam Popili. Nihil tibi, nisi occidendum mandauit Antonius. Pudeat te Popili. accusator tuus viuit. Non credisset Popilium facturum Antonius, nisi parricidium fecisse meminisset. Dij manes Popilij senis, & multæ patris umbræ, te Cicero persequuntur: ut quem negasti, sentias parricidam. Non habuit Minturnensis palus exulem Maxium. Cimber etiam in capto vidit imperantem. Cn. Pompeius terratum marisque dominor, libenter se Hortensij clientem professus est. Et Hortensius bona Pompeij, non Pompeium defenderat. Ita tu Popili, si Antonius iussisset, & patrem occidisses?

**PARS ALTERA.** Si illa tempora in crimen vocas, dicas non de hominis, sed de reipublicæ moribus. Miraris, si eo tempore necesse fuit Popilio occidere, quo Ciceroni mori? Ciceronis proscriptio fuit, occidi: mea, occidere. Iussit imperator, iussit victor. Ego illi negare quicquam possem, cui nihil negare poterat Respublica?

**EXTRA.** Popilium pauci ex historicis tradiderunt interfectorem Ciceronis: & hi quoque non parricidij reum, à Cicerone defensum, sed in priuato iudicio,

Ex M. SEN. CONTROV.  
DECLAMATIO III.

Ter abdicatus venenum terens.

**T**ER abdicatus, ter absolutus, comprehensus est in secreta domus parte à patre, medicamentum terens. interrogatus quid esset? ait, venenum: velle se mori, & effudit. Accusatur parricidij.

Cont. 3. lib. 7.

**DECLAMATIO.** Dic quid commiserim. certè nec secreta fallunt. Ut interuenit pater, in has cogitationes abiit. Quisquam ne tam infelix! fuit, quisquam me magis odit quam ego? Misericeti mei coepi. Ter causam dixi. Accesit ad hæc supplicia mea venenum. Viuam, si nec hoc tibi sat. Habit venenum Mithridates, habuit Demosthenes.

**PARS ALTERA.** Cum se mori velle dicat, vitam rogat. Teneo particidam, etiam in suam mortem paratum. Quantum est quod negas, cum tantum sit quod faceris? Venenum quæsti, venenum emisti, venenum intulisti in eam domum, in qua habebas inimicum patrem. Indica, quis vendiderit. dicetur illi: Tu vendebas cuiquam venenum? Tu abdicato? nesciebas cui daturus esset? quætitis, cui venenum parauerit? non bibit. Quod negat, parricidium est: quod confitetur venescium. Mihi, inquit, paravi, ne quis dubitet, an alium posuit occidere. Tam inuisum tibi fuisse patrem dico, ut occidere volueris: tam inuisum ipse confiteris, ut mori volueris.

**EXTRA.** Coniectura duplex à persona. una an sibi parauerit, an patri. LABERIVM diuus Julius ludis suis minimum produxit: deinde cuestri ordini reddidit. quem cum iussisset ire sellum, omnes equites ita se coactauerunt, ut venientem non reciperent. Multos tunc in senatum legerat Cæsar, & ut replete exhaustum ciuili bello ordinem, & ut his qui bene de partibus meruerant gratiam referret. Cicero in utramque rem iocatus, mandauit Laberio transiunti: Recepissim te, nisi anguste sedetur. Laberius ad Ciceronem remisit: Atqui soles duabus sellis sedere. Quia Cicero male audiebat, tanquam nec Pompeio certus amicus, nec Cæsari, sed viriusque adulator.

Ds

## DECLAMATIO IV.

Mater cœca filium retinens.

**L**EX LIBERI PARENTES ALANT, AVT VINCIAN-  
TVR. Quidam habens uxorem & filium peregre profes-  
sus, in piratas incidit. scripsit utriusque de redempione. Vxor  
fleendo cœca facta est. Filium euntem ad redempcionem ali-  
menta poscit. non remanentem alligare vult.

Cont. 4.lib.7.

**DECLAMATIO.** Nauigaturus vxori filium reliquit, nec  
adhuc cœca erat. Non est quod mulieris affectum lege æ-  
stimetis, quia minatur: omnia facit, ne fitus alligetur.  
Quotiens duobus est communio, potestas eius sit tota, qui  
præsens est.

**PARS ALTERA.** Vnis vinculis duos alligat. Vixto ma-  
ter cathenæ denuntiat. vieti ri ad piratas eundum est. Fi-  
lius familiæ nulli possum seruire, nisi patri. Peris ab eo ali-  
menta, quem pater peregre mittit. Prima partes patris  
sunt, secunda matris Ille peregre est, tu domi: ille captus,  
tu libera: ille inter piratas, tu inter ciues: ille alligatus, tu  
soluta. At tu cœca es: infelicior ille, quod videt cathenæ  
suas, cædes, & vulnera, & cruces eorum qui non redimun-  
tur. At periculorum est. Quam multi nihil pro patribus pe-  
riculorum putauerunt? Non, inqui, vindictam, sed misé-  
ricordiam querit. Ita quisquam exigit pietatem, ut impe-  
diat?

**EXTRA.** CALVVS, qui diu cum Cicerone iniquissimam  
litem de eloquentiæ principatu habuit, usque eo concita-  
tus actor fuit, ut in media oratione eius exclamaret Vati-  
nius reus, Rogo vos, iudices, num si iste disertus est, ideo  
me damnari oportet?

## DECLAMATIO V.

Quinquennis testis in procuratorem.

**M**ORTVA quidam uxore, ex qua filium habebat, duxit  
aliam: si vult ex ea filium. Habebat procuratorem  
speciosissimum. Cum sate iurgarent nouerca & priuignus.  
esset cum semigrare. Ille trans parietem habitacionem con-

duxit. Rumor præ de adulterio matris & procuratoris. Quodam tempore pater in cubiculo suo occisus insensus est, uxor vulnerata, communis paries perfoßus. Placuit propinquus quari à filio quinquenni, qui una dormierat, quem percussorem cognoscere. ille procuratorem digito monstrauit, accusat filius procuratorem cadis, ille eum parricidij.

Cont. 5. lib. 7.

**DECLAMATIO.** Ut audiuī clamorem, si qua fides est, deprehensos adulteros credidi. Da puerum. Aliquis non est vno teste contentus à populum. obicitc priuigno parricidium, filio mendacium. Dic puer, quis occiderit patrem, dic audaciter, eundem nominas, quem populus. Nox plauerit sceleri, adulterij tempus. O magna in contrarium peruersitas seculi! inventus est qui patrem possit occidere, non possit nouercam. Ostende istud, non vulnus sed argumentum. Ostende vulnus. Percusso ille, quam timuit ne occideret! tam leuiter te vulnerauit illa dextera, cui nec paries obstitit, nec pater? Nihil est puer teste certius. Nam ad eos annos peruenit, ut intelligat: & non ad eos, quibus singat.

**EXTRA.** Vinitius, vir exactissimi ingenij, nec dicere inceptias, nec ferre poterat.

### DECLAMATIO VI.

Demens qui seruo filiam iuxxit.

**T**YRANNVS permisit seruis dominas suas rapere. Profugerunt principes ciuitatis, & simul qui filium habebat, & filiam, cum omnes serui dominas vitassent, seruos eius virginem seruauit. occiso tyranno, reuersi sunt principes, in crucem seruos fustulerunt. Ille manumisso filiam iuxxit. Reus est à filio dementia.

Cont. 6. lib. 7.

**DECLAMATIO.** Haberemus solatium, si has nuptias tyrannus fecisset, non pater. Sanum putatis esse, qui imitari tyrannum maluit, quam seruum? Similem se fecit tyranno, filiam raptis, libertum cruciariis. Plus permisit seruo dominus quam tyrannus. Quisquis has nuptias fecit, aut insanus est, aut tyrannus. Egregius gener, cui nihil est gloriosus,

riosius, quam quod inter cruciarios non est. Virginitatem sub patre perdidit, quam seruauerat sub tyranno. Itane dignus est nuptiis, quia indignus est cruce? Melior conditio viriatarum, quam virginis est. Illis mutare nuptias contigit. propitus pater ita collocavit filiam suam, ut iratus tyranus alienas: cum sanus esset pater, ne has videret nuptias, fugit. Miserrima soror, sub tyranno patrem desiderabas, sub patre tyrranum desideras. Non est illi præmium, vnum spectare omnium cruces? Dominam non stupravit. Auge beneficia, nec dominum occidit, nec venenum dedit. Non est beneficium, sceleris abstinere. Quod aliae in tyrannide passæ sunt, hæc in libertate: ceteræ absentibus suis, hæc præsentibus. In aliis stuprum vocatur, in hoc matrimonium. Timuit ille supplicium. sciuit rem publicam liberandam. datusque penas qui contaminassent: & aduentare tyrannidi tempus ultimum vidit. Conuenite seruuli, conuenite libertini, empta cognatio.

PARS ALTERA. Si quis tyranno indicasset, solus hic in cruce pependisset. Licet cui volo filiam collocare. Marcus Cato coloni sui filiam duxit uxorem. Filia non mariti petulantiam timebit, non verborum contumeliam, non pellicem, non repudium. Neminem natura liberum fecit, neminem seruum. Imposuit hæc fortuna postea singulis nomina. nuper & nos serui fuimus. Seruus rex fuit.

## DECLAMATIO VII.

Cauete proditorem.

PATER & filius imperium petebant. Pralatus est filius, Commissario pralio capius est. Missi sunt decem legati ad Imperatorem redimendum. Euntibus occurrit pater, dixit sero se aurum ad redemptionem attulisse, filium crucifixum esse. Illi peruererunt: quibus imperator de cruce dixit: CAUETE PRODITOREM. Reus fit pater proditionis.

Cont. 7. lib. 7.

DECLAMATIO. Imperator supplicium tulit, proditor pretium. Tristiorem istum vidimus, cum filius imperator pronuntiatus est; quam cum captus. Quemadmodum

redisti tutus senex, solus, cum auro, cum etiam imperatores capiantur? Pius accepit atri, quanto quod posset abscondi, nolite mirari, & imperatorem & filium vendiderat. CAVETE PRODITOREM, iam comitiis canimus. Abstulissent tibi aurum hostes, nisi dedissent. CAVETE PRODITOREM. Indicium fuit motientis breue, filij verecundum. Cur dimissus es? si nihil aliud, & ducem genuisti, & dux esse voluisti. Candidatus processit contra patrem, iam tunc nobis verecunde indicavit filius, tibi credere rem publicam noluit. Legati nostri aurum cerebant, parer afferebat. Num immobilis dirigiisti? Num & illic quasi & ipse affixus haesisti? quid tam cito recedis? Adhuc & viuit, & loquuntur. Voce proditionem indicauit, silentio proditorem. Optimus imperator curaret rem publicam, ne in cruce quidem desit. Tibi non dixit: CAVES PRODITOREM. Nec imperator potuit tacere proditionem, nec filius loqui proditorem. Expecta, dum mittantur legati, dicas: Affectus non sustinet moram. Ergo si redimere non potes viuum, saltem mortuum redime. Nunquam tam durus hostis fuit, ut pacernis lacrymis non flecteretur. CAVETE PRODITOREM: id est, ne quis in ciuis custodibus exeat, ne quis ignorante Republica ad hostes perueniat, ne quis ex hostium castris grauis auro reverteratur. Indicio nihil deest. De proditione vobis dicit, imperator: de proditore, legati. Sublata est questio. Queritis quem dixi? videte cui nihil dixerit.

PARS ALTERA. In comitiis filio meo cessi. Decretum non expectauit: sed amens & attonitus protinus cucurri. Ad summam festinavi, nec occurri. Sciebam hostes patrum lacrymis fæpe flecti.

EXTRA. LATRO non curauit dicere, nullam factam esse proditionem, sed se proditorem non esse. Suspectus est, inquit, iudici, qui plus quam se defendit. CASTIVS positus sua forta, in qua deliberat Alexander, an Oceanum nauiget, cum exaudita vox esset, Quousque inuidit? describenti discipulo late Alexandri victorias, gentisque perdomitas, & addenti, Quousque? post ista exclamauit, Et tu quousque?

## DECLAMATIO VIII.

Mutanda optio raptore conuicta.

**L**EX. RAPTA RAPTORIS MORTEM, AVT INDOTATAS Nuptias optet. Raptam productam nuptias optauit. Iuuenis raptorem se negavit. Conuictus est. Illa optionem petit. Raptor contradicit.

Cont. 8. lib. 7.

**D**ECLAMATIO. Optare tibi non amplius quam semel licuit. Proponite supplicij faciem, carnificē, securim. Hoc semel licere nimium est. In hanc perturbationem perductus sum, ut ignorarem quid fecissem. Grauius punior, cum me peccasse pudet, quam cū peccavi. Optauit nuptias: nec adhuc sciebat quam verecundum maritum esset habitura. Raptorem dimisisti: virum occides? Minus est ergo quod vitiauit, quam quod negavit. Ergo nos iniuriam periculosius negauimus, quam fecimus. Quadā nocte, quid dicam? non negare iam non pudet. Nox, vinum, error. quid irasceris puella? iam non negat. Iudex datam tabellam reuocare quam tulit, non potest. Quæsitor non mutat pronunciationem. Nihil tam ciuile, tam vtile, quam breuem potestatem esse, quæ magna est. Si mortem optaueris, hodie facies quod nunquam factum est: vtrunque optaueris.

**P**ARS ALTERA. Idegit priori iudicio ne quam omnino pœnam stupri penderet: hoc id agit, ut ipse optet. Utinam non metu liberaret illum, quod iudicis sui clementiam nouit. Est quædam proxima innocentia, præbere se legibus. Lex non adiicit quotiens optet, sed ex quibus. Aut hoc, inquit, aut illud. non adiicit, Ne amplius quam semel.

EPITOMÆ

M. ANNÆI SENECAE  
CONTROVERSIARVM  
LIBER OCATAVS.

CONTROVERSIA I.

Orba post laqueum sacrilega.

**L**EX. Magistratus de confessio sumat supplicium. Thema. Amisso quadam viro cum duobus liberis, laqueo

*Se suspendit. Incidit ei laqueum tertius filius. Cum sacrif-  
gio facta, quereretur sacrilegus, illa dixit magistratus se fe-  
cisse sacrilegium. Vult magistratus tanquam de confessa su-  
mere supplicium. Filius contradicit.*

CONTRA magistratum. Faciam, Iudices, in foro quo  
domi feci, matrem mori prohibens. Quomodo, inquam,  
fecisti? quo loco quæ sustuleras, condidisti? Hærebat, nec  
quicquam sacrilegij nisi pœnam nouerat. Amisisti duobus  
filiis, sacrilega sibi videbatur, quod viuebat. Non affuturus  
veni, sed seruaturus. Alij pro reis rogant: ego rogabo rea.  
Nullum accusator nisi in subselliis meis habet testimoniū. Non  
est confessio, nisi quam accusator eruit, negat rea, tortor  
expressit. Fertur quædam viso contra spem filio expirasse.  
Si ad mortem agit matres magnum gaudium, quid ma-  
gnus dolor? Mater, habes, non mediocre solatium. vides  
aliquid & deos perdere. Magis deos miseri, quam beati  
colunt. Non fecit sacrilegium mulier, non fecit orba, non  
fecit quæ custoditur, non fecit quæ confitetur. Irratis, in-  
quis, diis sacrilegium potuit committere. Frangitur cala-  
mitosis animus, & ipsa se infelicitas damnat: & hoc con-  
ditio humana vel pessimam habet, quod fortuna quos mi-  
seros fecit, & superstitionis facit. Diligentius dij coluntur  
irati. Quis ergo fecit? Vnde scire possum, qui matrem cu-  
stodio? Ago causam legum, ne carnificem, quem sacrile-  
gis minantur, calamitosis adhibeant. Deos ita coluit, ut  
quæ tam pro multis timeret. Confessio conscientia vox  
est. Confessio coacti, & quæ facit agnoscens est verbum.

**PARS ALTERA.** Omnia vox erat, sacrilegium latere non poterit. Quisquis est, non ipse bonum exitum faciet, non quisquam suorum. Et si nemo fuerit accusator, ipse narrabit. Concitata processit, velut diis ipsis persequenti-bus. Feci, inquit. Supplicium de ea vel nunc exigamus ho-mines, de qua olim dij exigere cœperunt. Violatorum nu-minum maiestate compulsa est, vt mori & veller & debe-ret, & non posset. Incisus est ei laqueus. Tu putabas sacri-legam secreto mori posse? Omnia fecit, vt taceret: que ne confiteretur, etiam mori voluit. Si crimen queritis, sacri-legium factum est. Si facti causam queritis: si priusquam amitteret liberos, auara; si postquam amiserit, irata.

CON-

## L I B E R V I I I .

321

### C O N T R O V E R S I A . I I .

Phidias amissis manibus.

**L**EX. *Sacrilego præcidantur manus.* Thema. *Elij ab Athenisibus Phidiam acceperunt, ut is Iouem Olympium faceret: pasto interposito, ut aut Phidiam, aut centum talenta redderent. Ioue perfecto Elij Phidiam aurum rapuisse dixerunt, & manus tanquam sacrilego præciderunt: truncatum Atheniensibus redditum. Petunt Athenienses centum talenta. Contradicitur.*

CONTRA Elios. Iam Phidiam commodare non possumus. Tunc demum illa maiestas exptimi potest, cum animus opera prospexit. Manus duxit ante sibi, quam operi Iouem fecit. *Sacrilegi vos estis, qui præcidistis consecrataς manus.* Primum sanguinem sui artificis vidit Deus. Testor Iouem, iam proprium Phidiæ deum. Ars alios in miseria sustinet, te fecit miserum. Paciscendum Phidiam manus fecerant. Sine eo Phidiam nos recepturos speratis, sine quo vos accepturi non fuistis? *Commodauimus qui posset facere deos, recepimus, qui ne adorare quidem possit.* Non pudet vos Iouem debere sacrilego? Superest homo, sed artifex perii. Pœnam nobis Phidiæ, non Phidiam reditis. Manus quæ deos solebant facere, nunc nec homines quidem rogare possunt. Talem fecit Iouem, ut hoc eius opus Elij ultimum esse vellent. Manus commodauimus: manus reposcimus. Elius testis est, Elius accusator, Elius iudex: Atheniensis tantum reus. Inuoco deos illos quos fecit Phidias. & illos quos facere potuit. *Recepimus Phidiam.* Confiteor, si possumus commodare.

PARS ALTERA. Habuimus autem olim sacrum: habuimus ebur: sacræ Materiæ artificem quæsiuimus. disposueramus quidem, ut aliis quoque templis simulacra Phidias faceret: sed non tam necesse erat ordare deos, quam vindicare.

### C O N T R O V E R S I A . I I I .

Infamis in nurum.

**T**HEMA. *Dolorum iuuenum pater uni uxorem dedit: quo peregre profecto, infamari ccepit sacer in nurum. Maritus reuersus abduxit ancillam uxoris, & torst. Illa in tormentis perit. Maritus incertus quid quasierit, se suspendit. Imperat alteri filio pater ut eandem ducat. Nolens abdicat,*

X

**C**ONTRA PATERM. *Duc, inquit, fratri vxorem. Sic hoc fieri potest? Adulterum frater inuenit. Hæc est mihi causa abdicationis, quæ fratri mortis fuit. Duc, inquit, fratri vxorem. Tentari me, si qua est fides, credidi. Mulier, si nubere lugenti potes, facis ut omnia de te credantur. Coger eam ducere, quæ mihi causa abdicationis est, populo rumoris, viro mortis? Legi iam vxorem: quo, si peregrinatio incidenterit, mecum peregrinari velit: quæ, si viro aliquid acciderit, nubere alij nolit. Qui audiunt me abdicari, putant fratrem aliquid suspicatum de me.*

**P**ARS ALTERA. *Obiecisti mihi ultimum nefas, & quod qui tantum est suspicatus, noluit vivere. Impulsi tuo frater tortit ancillam: & quia nihil repetit, fallas suspiciones morte plauit.*

#### CONTROVERSIA IV.

Homicida sui.

**L**EX. HOMICIDA INSEPVLTVS ABIICIATVR.  
Thema. *Quidam se occidit. Petitur ut insepultus abiiciatur. Contradicitur.*

**P**RO HOMICIDA SEPELIENDO. Afferre sibi coactus est manus assiduis malis. Summam infelicitatum suarum in hoc removit, quod existimabat licere misero mori. Infelicissime adolescens cum te & sepultura prohiberi video, desino mirari quod periisti. Tales inimicos habes, ut etiam mortuum persecutur. Facilius miserum, quam sceleratum fortuna vincit. Sumpsiisti hoc ferrum Cato, & quam inuidiosum, quod Catonem occideris? Curti, perdiuersa sepulturam, nisi in morte reperisses. Quid est miserius in vita, quam velle mori? Quid in morte quam sepelebi non posse? Quis miretur eum mori voluisse, quem fugientem quoque fortuna persequitur? Omnibus natura sepulturam dedit. naufragos idem fluctus qui expulit, sepelit. suffixorum corpora crucibus in sepulturam suam deflavit. eos qui viui vruntur, pena funeral. Irascere interfecti. sed miserere interfecti. Homicida, inquit, est, quia se occidit. Huic irascis? Pro quo irascis? Non aliud

Sce-

Sæuola Mucio cognomen dedit, & capto, contra Porsennam regem libertatem reliquit, quam vilitas sui. Non aliud Codrum illud ceteris imperatoribus dedit exemplū, quam quod positis imperatoriis insignibus, ad mortem cucurrit. Nec ullo maior fuit dux, quam quod se ducem non esse mentitus est. Non postulo, ut gloriosum, sed ut tutum sic mori. Non magis crudeles sunt, qui volentes viuere occidunt, quam qui mori volentes non sinunt. Curtius deiiciendo se in precipitem locum, fatum sepulturæ miscuit. Celebratur Cato, qui se occidit, huic miserissimo, quod aliquid non ignave de spiritu suo statuit, tantum impune sit. Etiam vulnera infelicitis scrutantur in crimen. Estimate an viuere licuerit, cui ne mori quidem licuit.

PARS ALTERA. Facinus indignum, si inueniantur manus quæ sepeliant eum, quem occidere suæ. Sumpsit gladium. Video ardentes oculos. In quem, nescio: quod solum, scio, scelus cogitat. Nescio cuius criminis sibi conscius confugit ad mortem. Cuius inter scelerá etiam hoc est, quod damnati non potest. Contra hos inuenitum est, ut aliquid post mortem timarent, qui nec mortem timent. Ni hil non ausus iuit, qui se potuit occidere.

## CONTROVERSIA V.

Fortis nolens ad patrem fortē redire,

**T**HEDA. Abdicauit quidam filium. Ille tacuit. Fortiter fecit Petrus pro præmio ad patrem redditum. Pater contradicit. Pater postea fortiter fecit. Petrus ad se filij redditum. Filius contradicit.

**C**ONTRA FILIVM. Ego fortior sum, post tuam pugnam pugnauimus, post meam vicimus. Reuertere, dignam domum te feci. Isti oculi mei sunt, istæ manus meæ sunt, ista contumacia mea est. Si mereor præmium, mihi date: si non mereor, isti suum reddite. Ego, inquit, eadem lege præmium non accepi. Hoc est unde abdicatus es. Putas nihil inter te & patrem interesse? post tam similia opera, si tantum commilito esses, me patrem adoptare debueras. Admoneo te iuuensis, hoc præmium qui recusauerat, petit. Timeo, inquit, ne iterum abdices. Commissurum me putas, ut iterum

rogem? Bello grauiore pugnati, quo necesse fuit etiam se  
nibus militare, quo fortis esse non potuerunt, etiam qui  
priori bello fuerant. Ille annos suos exercuit, ego vici  
meos. Tu fregisti bellum, ego sustuli. Quanta exhortatio  
iuvenum fuis senex fortis! Vtrique nostrum præmium red-  
dite. Militai senex: militai exanguis: militavi qui iam  
viciatium dederam. Vterquæ nostrum cum rogatur, fastidit:  
cum relinquitur, rogat. Quid nos suspicari cogis, quod  
non vis in paternam domum venire? Turpe erat virum  
fortem, nisi à patre coacto, non recipi.

**PARS ALTERA.** Quid me captiuum ex libero cupise?  
Quid ignomidia subiiciis virum fortem? Quid efficis, ut  
possim abdicari? Meus, inquit, es filius. Quid opus est præ-  
mio si tuus sum?

## CONTROVERSTIA VI.

Pater naufragus diuinitis sacer.

**L**EX. RAPTA RAPTORIS AVT MORTEM, AVT IN-  
DOTATAS NUPTIAS OPTET. Thema. Dives pau-  
perem de nuptiis filia interpellauit tertio. Ter pauper negauit.  
Profectus cum filia naufragio expulsus est, in diuinitus fundum.  
Appellauit illum dives de nuptiis filia. pauper tacuit, & fle-  
uit. Dives nuptias fecit. Redierunt in urbem. Vuli pauper  
ducere puellam ad magistratus. Dives contradicit.

**CONTRA DIVITEM.** Educatur ad magistratus puella,  
quid times? Certè vxor tua est. Queri nec de morte poten-  
tis, si hanc puella maluerit. Nemo vñquam raptor serius  
petiit. Ut litus agnoui, naufragus in altum nataui. Quid ti-  
mes, si exorasti? Accessit ad me primum. Filiam tuam du-  
cere volo, inquit. Non fleui, tunc enim licuit negare. Nu-  
ptias filiæ, tanquam naufragium meum fleui. Naufragus  
plus de littore queror. Inter naufragium quidem & nuptias,  
ne vna quidem nox interfuerit. Differat nuptias, dum fere  
sacer definat. Putat me iam filiam commississe sibi, cum hic  
necedum se commitrat vxori? Lacrymis inter verba manan-  
tibus venio: talis & in nuptiis filiæ fui. Si rapta est, cur o-  
ptionem recusas? Si vxor est, cur times? Loquor ubi primura  
licet. Procul à conspectu reliqueram patriam, nondum ta-  
men possessionem diuinitis præterieram. Subito fluctibus  
inhorruit mare, & discordes in perniciem nostram flau-

RE VEN.

re venti, demissa est nox cœlo, & tantum fulminibus dies redditur: inter cœlum terramque dubij pependimus. Adhuc tamen bene, iudices, nauigauimus. naufragium maius restat in litore. Erat in summis montium iugis ardua diuitis specula: illic iste naufragiorum reliquias computabat; illic vestigia infelix, & quantum sibi iratum reddebat mare. Interrogor de nuptiis filiae, cum adhuc pulsaret aures meas fluctus. feci quod debui, & captus & naufragus, inimico stuprum lacrymis negauit. Delicatus diues, qui etiam inter naufragia amare potest. Matrimonij celebritatem remoti angulo turris abscondit. ibi fecit nuptias, quo nemo nisi naufragus venit. Lacryma est indicium inoptatae rei. lacrymæ pignora sunt nolentium, & repugnantis animi vultus index. Nemo unquam quod cupit deflet. Lacrymæ coacti doloris intra præcordia, & intolerabilis silentij eruptio. Sic ille qui super cinerem deflet patrimonium, odit incendium: sic qui naufragium deflet, maria detestatur. Fletus humanarum necessitatum verecunda exercitatio est. Tuæ nunc sunt partes puella. discedo: & quod prius feci, raccio. Si nupta es, habes quod optes: si virilata, quod imperes.

PARS ALTERA. Naufragum duo sacratissima inter homines exceperunt, hospitium & affinitas. alterum pæstiti, alterum etiam rogaui. Oblatas conciliante fortuna nuptias, quod erat amantis, saepius rogaui: quod festinantis, non distuli. Quid hic raptoris est, nisi quod indotatam duxi? Errat sacer, qui putat mihi cariorem futuram puellam, si me potuerit occidere. Quid enim mihi superest? preces meæ quas toties adhibui, an istius lacrymæ quas mouit? Nihil mihi inimicus obiicere potest præter matrimonium. Magnus est amor, qui ex misericordia venit. Fundebamus lacrymas ex penitentia dissidijs prioris. nec plura aut me proloqui, aut istum respondere passæ sunt mentes gaudiis occupatae. Nulla integritas tantum sibi, etiam explorata, confidit, ut causam velit dicere. Si interrogaueris filiam, partem legis amputatus es: si non interrogaueris, legem. Si genero vitam daturus esset, etiam innocentiam reliquistet. Quæreris, quid dum fieret, fecerit? Non negavit, & solebat negare. Si nollet mortem, optaturus est? Non enim potest eas partes legis desiderare, quas habet.

EX LIBRO NONO  
CONTROVERSIARVM

DECLAMATIO I.

Cimon ingratu.

**L** EX. ADVLTERVM CVM ADVLTERA QVI DEPRE-  
HENDERIT, DVM VTRVMQUE INTERFICIAT, SI-  
NE FRAUDE SIT. INGRATI SIT ACTIO. Miltiades  
perulatus damna us, in carcere alligatus, decepsit. Cimon filius  
eius, ut eum sepeliret, vicarium se pro patris corpore dedit.  
Callias diues sordide natus, redemit eum à Republica, & pe-  
cuniam soluit: equi filiam collocauit. Ille deprehensam in  
adulterio, deprecante patre, occidit uxorem. Ingratuerus est.

Contr. i. lib. 2.

**D**ECLAMATIO. Adulterium mihi carcere est. Fertum  
mihi à lege traditum, ad vindictam pudicitiae proiciam.  
Perdidisti pecuniam Callia, si tales soluisti manus. Non  
potest generosus animus contumeliam pati. Hoc inter-  
est inter fortunam patris & filij, quod illius calamita-  
rum exiit fuit carcere, meatum initium. Vnus Miltia-  
des, cenus inuentus est Cimon filius. Redemptus Cimon  
xtemporis felicitas est. Reddam beneficium, cum tam  
honestum desideraueris, quam dedisti. Ego adulteros di-  
mittam: quid aliud facerem, si adhuc alligatas manus ha-  
berem? Quid tu pecuniam putas pro Miltiade alligari? Ma-  
gnum vterque beneficium dum damus, recipimus: ego,  
quod Miltiadem redemi, tu, quod Cimonem. Turpissimum  
duxi, ab eodem dimitti & adulteros & Cimonem. Ego sum,  
qui referte gratiam ne mortuis quidem desino. Ita mihi  
veros habere liberos contingat, quod quantum sit Miltia-  
des expertus est. Dignus erat Callias talem genuisse, qua-  
leum redemit. Dic nunc, Ego te carcere eximi: cui respon-  
deam, Ego me carcere tradidi. Nunquam fieri, ut melius  
actum putem, quod à Callia redemptus sum, quam quod  
pro Miltiade alligatus. Ego me à te redemptum putabam:  
emisi me filia tua. Callias filiam duxi, hanc tibi patet,

dum

dum ingratus esse nolo, iniuriam feci. Non possum ob id  
damnari, quod lege factum est. Beneficium est, quod totum  
eius causa præstat, in quem confertur. Vbi aliud ex eo  
quis sperat, aut præparat, non beneficium, sed consilium  
est. Summo te dedecore liberaui inuitum. redemisti me, &  
tu non rogantem. Habes Virginios, & quicunque vicias  
filias vel clauerunt, vel occiderunt.

PARS ALTERA. Dgo beneficia dedi: & redemi, & ei  
filiam collocaui. Obiicio tibi, quod uxorem passus es adul-  
teram fieri, quod non custodisti, quod moratus es, dum su-  
perueniret pater, spectator suæ calamitatis. Ego non expe-  
ctaueram, donec rogores. Molestè ferebas socerum dici  
Calllam. Mores paellæ non tantum passus es in vitia labi,  
sed ipse impalasti: nactus occasionem non omisisti.

EXTRA. Hic color & GALLIONI, ET LATRONI, ET  
MONTANO placuit, ut nihil in Calliam diceretur contu-  
meliosè, in redemptorem, in socerum infelicem. Multas  
quæstiones rhetorici, & poëte Romani à Græcis dictas non  
surripuerunt, sed & prouocauerunt. Thucydidis sententia  
est: Δεινὸς αἰ διπέρηστον πόνον γε οὐ οὐδεν τοῦ ἀγασθε-  
νεοτάτου. Sallustius: Res secundæ mirè sunt vitiis ob-  
tentui. Sic cùm sit præcipua in Thucydide virtus breuitas,  
hac eum Sallustius vicit, & in suis eum castris cæcidit. Nam  
in sententia Græca tam breui habes quæ saluo sensu detra-  
has, deme vel οὐ πούλει, vel οὐ οικάστη, deme εἰδίσει, con-  
statbit sensus, etiamsi non æquè comptus, æquè tam an in-  
tēger. At ex Sallustij sententia, nihil demi sine detrimento  
sensus potest. T. autem Liuius tam iniquus Sallusti fuit, ut  
hanc ipsam sententiam, & tanquam translatam, & corrup-  
tam, dum transferretur, obiiceret Sallustio: nec amore  
Thucydidis facit, ut illum præferat, sed laudat, quem non  
timet: & facilius putat à se posse Sallustium vinci, si ante  
à Thucydide vincatur.

## DECLAMATIO II.

Flaminius in cæna reum puaiens.

**M**AESTATIS LÆSÆ SIT ACTIO. Flaminius prator  
inter cænā à meretrice rogarus, qua aiebat nunquā se  
auerat

*Vidisse hominem decollari, vnum ex damnatis occidit. Accusat*  
*satur lesa maiestatis.*

Contr. 2. lib. 9.

DECLAMATIO. Obiicio luxuriam, histriioniam, iocos, An in conuiuo nihil aliud nisi occiditis? Vni fortasse osculo donavit homicidium. Cœnaturi carnifices manus abluunt. Non inquiero in totum annum: vna nocte contenus sum. Facilius est, vt qui multa meretrici dederit, homicidium neget; quam vt qui homicidium dederit, quicquam negarit. Seruum si verberare voluisse, extra coniunctum abduxisses. Contactam sanguine huinam mensam, strictas in triclinio securas, quis credat ista concupisse meretricem, vel fecisse prætorem? Virge promuntur, & ante mensam deosque crudelitatis victimam trucidatur. Me miserum, Romani imperij terrore lusisti. Legi potius, quam scorto cadat. Exsugite Brutii, Horatij, Decij, & cetera imperij decora. Vestris fascibus, securibus vestris iam pueræ iocantur obsecna. In eo quod sub prætextu publicæ maiestatis agitur, quiequid peccat, maiestatis actione vindicandum est. Percussurus lictor ad prætorem respicit, prætor ad meretricem.

PARS ALTERA. Si legatus falsa mandata affect, sic audiuntur, tanquam illa populus Romanus dederit. Imperator sedis percussit, videtur populus percussisse Romanus, sedere continetur. Nunc nec viribus quicquam populi detractum est, nec opinioni. At ex te ceteros estimant. Et ante hunc alij fuerunt, ex quibus estimari possunt. Nemo adscribit viribus vitia singulorum. Obiiciunt, quod damnatus periret meretrici, & postulante prætorem perire damnato. Libido omnis intra meretricem est, crudelitas intra carcere. Multa populus Romanus in suis imperitoribus tulit: in Manlio impotentiam, à quo & filius & victor occisus est: in Sylla crudelitatem: in Lucullo luxuriam: in multis auaritiam. Non putauit ad rem pertinere, ubi aut quando periret, qui perire deberet. Occisus est: quis? damnatus, ubi? in prætorio quo tempore? Est enim tempus, quo noxius perire non debet?

EXTRA. Quædam controversia sunt, in quibus factum defendi potest, excusati non potest. Non speramus ut Flaminium iudex probet, sed ut dimittat. Itaque sic agere debemus.

bemus, tanquam pro facto non emendato, sed non scelerato. **TITVS LIVIVS** de oratoribus qui verba antiqua & sordida consequantur, & oratoris obscuritatem, seueritatem putant: tamen in his etiam si minus est insaniae, minus spei est. Illi qui tument, & abundantia laborant, plus habent furoris, sed plus & corporis. Semper ad sanitatem proclivius est, quod potest detractione curari: illi siccari non potest qui simul & insanit, & deficit. Murchedius dixit tetracolon. Setuebat forum cubiculo, prætor mætrici, carcer conviuio, dies nocti. Nouissima pars sine sensu dicta est, vt expleretur circuitus. suam enim sensum habet, Seruiebat dies nocti? Hanc ideo sententiam retuli, quia & in tricolis, & in omnibus huius generis sententiis, curamus ut numerus constet, non curamus ut sensus. Omnia autem corruptarum sententiarum exempla de industria pono: quia facilius & quid imitandum, & quid yitandum sit, docemus exemplo.

## DECLAMATIO III.

Expositum repetens è duobus.

**P**ER VIM METVMQUE GESTA, NON SINT RATA.  
PACTA CONVENTAQVE LEGIBVS FACTA, RATA  
SINT. EXPOSITVM QVI AGNQVERIT SOLVTIS ALI-  
MENTIS RECIPIA. Quidam duos expositos sustulit, &  
educauit. quarrenti patri naturali pollicitus est se indicatu-  
rum ubi essent se sibi alterum ex illis dedisset. Pactum inter-  
positum est. reddit illi duos, repeatit unum.

Contr. 3. lib. 9.

DECLAMATIO. Cūm alienis diuidemus liberos, quos  
non diuidimus cum matribus? Vtrumque genui, vtrunque  
desideravi, pro vtroque pactus sum. Vna nati sunt, vna ex-  
positi, vna educati redditi distrahuntur. Distraxit illos for-  
tuna aliquando à parentibus, nunquam ab ipsis. Duros ex-  
positi, quia alterum elige non poteram. In auctionem  
fratres productos quamvis hostilis hasta non diuidit. Plus  
quiddam est geminos esse, quam fratres. perdit vterque  
gratiam suam, nisi cum altero est. Ignoscat retinenti meos,  
cum ipse concupiscat alienos. Agnitio diuidet, quos iuxit

etiam expositio? Omnia pro filio paciscor, præter filium, Pactus sum flos, tremens, tanquam cum exponessem. Mihi tunc vis & necessitas erat, non enim poteram inuenire filios, nisi alterum promissem.

**P A R S A L T E R A.** Vtrumque potestis ex hoc iudicio patrem dimittere. Liberis hic carere consuevit: & cum unum accepero, necesse est torquear duobus afflicui. Vim vocas, quæ te patrem fecit? Ego sustuli, ego educavi, ego reddidi, iste electurus est. In ista vi duos filios perdidii. Lex arma, & vincula & ultimum periculum complectitur.

**E X T R A.** IN S A B I N U M C L O D I U M , vno die & Graec & Latinè declamantem, multa urbane dicta sunt. Dixit HATERIUS quibusdam querentibus, quod pusillas mercedes acciperet cum duas res doceret: Nunquam magnas mercedes accipere eos qui hermeneumata docerent. MOESENAS dixit: Tu dedit mihi ad eum ad propositum meum, CASSIUS SEVERVS ab auditione eius rediens, interrogatus quomodo dixisset, respondit, Malè regi regnabas.

#### DECLAMATIO IV.

##### A filio in arce pulsatus.

**L**EX. QUI PATREM PULSAVERIT, MANVS EI PRACTICIDANTVR. Tyrannus patrem cum duobus filiis in arce acceperit, insperauit adolescentibus, ut patrem caderent, Alter ex his precipitauit se, alter cœcidit. Post in amicitiam tyranni receptus est. Occiso tyranno primum accipit. At reuefit caspi patri. Petuntur eius manus pater defendit.

Contr. 4. lib. 9.

**D E C L A M A T I O .** Felicior essem, si plures reos defendem. Præcidetis tyrannicidæ manus. Quid hoc est? integrus tyrannus iacet. Tam necesse fuit patrem cædere, quam spoliare tempia, virgines rapere. O quantum debemus istis manibus per quas iam nihil necesse est. Tales fuerunt, ut ex his posset tyrannum alter contempnere, alter occidere. Præcipitasti te fili, hoc non est patri parcere, sed tibi. Dura fili, in tyrranum tibi per partem eundum est. Vtrum

ex filiis meis probatis? alter se occidit, alter tyrannum. Suspensas leuiter admouebat manus. filius simulabat ictus, patet gemitus. Necessitas magnum humanæ infelicitatis patrocinium. Hæc excusat Saguntinos, quamvis non cæcidint patres, sed occiderint.

Sinec iste cæcidisset, ille me fratri reliquerat, hic tyranno. In lege, inquit, nihil excipitur. Sed multa licet non excipientur, intelliguntur. Et terripum legis angustum, id interpretatio diffusa est. Quid? interest lege excipere, ne fraudi sit ei qui per insaniam patrem pulsauerit: cum illi non supplicio, sed remedio opus sit. ne puniatur infans, si pulsauerit patrem. Hoc qui cogente tyranno fecit, ipso fuit miserior vapulante. Non est impudica, quæ accersita est à tyranno, non est sacrilegus sacerdos, qui deorum immortalium dona suis manibus peritulit ad tyrannum. Patre iubente fecit: nec cæcidit ipse, sed paruit. Ultio cæsi patris, nullius est, nisi patris. Si à quolibet aliepo cæsus esset, & iniuriarum agere nolle, nemo nomine meo ageret. Nunc nihil interest. Pœna maior est cius qui cæcidit, ius idem eius qui cæsus est.

PARS ALTERA. Tamdiu cæcidit patrem donec placebet tyranno satelles. Pro Repub. inquit, feci. Idem & Reipub. imputas & tyranno. Habuisti quod iactares tyranno. Frater maluit mori. periit, ne particidium faceret, aut videret. Cæsus, inquit, pœnam dimitto. Mirarer, nisi pro tam bono patre fuisset, qui mori vellet. Pater, inquit, voluit. sed frater noluit. Pater, inquit, voluit. Ita tu non tantum tyranno, sed etiam patri dignus visus es paricidio. Cæcidisti patrem, cum & legem nosses, & fratrem.

EXTRA. Ab Oppio proconsule, cum quo in Cretam SABINVS ierat, in theatro Græci postulare cœperant, ut Sabinus maximum magistratum gereret. Mos autem est, barbam & capillos magistratui Cretensium submittere. Surrexit Sabinus, & silentio manu facto: Hunc magistratum, inquit, ego Romæ bis gessi. bis enim reus causam dixerat. Græci non intellexerunt, sed bene precati Cæsari, petebant, ut illum honorem Sabinus tertio gereret. Idem cum reus rogaret, ut in lautumias transferretur: Non est, inquit, quemquam vestrum decipiat nomen lautumiæ: illa animo meo lauta res est. Io-

cabatur in miseriis ac periculis suis, in quibus iocari eum non debuisse, quis nescit? potuisse, quis credit?

## DECLAMATIO V.

**D**E VI SIT ACTIO. Quidam duos filios sub nouerca amisit, dubia cruditatis & veneni signis. Tertium filium ausa maternus rapuit, qui ad visendos nepotes agros non fuerat admissus. Quarenti patri per praconem, dixit et puds se esse. Accusatur.

Contr. 5. lib. 9.

**DECLAMATIO.** Habui filiam, quamvis unus filius superfit, fœundam: apud me nutriatur sine. Quid times? ne non admittare, cum veneris? Non queris filios, quos perdidisti: quem non perdidisti, queris. Pater à me vinum repetit, ego duos à patre. Plus habeo quod auo, quād quod reo timendum sit. Veni ad ægrotantes nepotes: admissus non sum: hæc vera vis fuit. Nulla vis est, quæ armæ, pugnæ, vulnera non habet. Describe istius comitatum, tumultus: unus est & unus senex. Rapuisti, inquit, filium meum. immo nepotem meum sustuli: immo venientem non possum excludere. Si cuius obsecram latronibus armata manu coniugem, liberisque rapuister. Quod vivit puer, beneficium erit meum. Et medici alligant, & corporibus nostris vi medentur. Non potest mecum agere, tanquam cum alieno. Habet sua iura natura. Et hoc inter patrem & auum interest, quid auo seruare licet suos, patri & occidere. Quæ est ista tam sera pietas, tam præpostera? querere tuos à tertio incipis. Quisquis puero fuit, ne inueniretur optauit.

**PARS ALTERA.** Non ut nepotem seruaret, fecit, sed ut infamaret vxorem veneficij, me veneficæ mancipatum. Cum socero mihi, Indices, ne viua quidem priore uxore, conuenit: mortua vero, inimicum professus. Languebit puero cum vociferatione & conutio, auspicans, quicquid accidit, venit, qui ad sanos nepotes nunquam antea venisset. Non admisi: & tunc enim vidi venire raputum.

EXTRA.

**E X T R A.** Habet hoc MONTANVS vitium. sententias suas repetendo corruptit. dum non est contentus vnam rem semel bene dicere, efficit, ne bene dixerit. Propter hoc solebat Montanum SCAVRVS inter oratores Ouidium vocare. Nam & Ouidius nescit, quod bene cessit, relinquere. Cum Polyxene esset adducta tumulo Achillis immolanda, Hecuba dixit :

— *sinis ipse sepulti*

*In genu hoc pugnat.*

Poterat esse contentus, adiecit :

— *Tumulo quoque sensimus hostem.*

Neque hoc contentus, adiecit :

*Aeacidafœcunda fuit.*

Aiebat Scaurus, non minus magnam virtutem esse, scire desinere, quam scire dicere.

#### DECLAMATIO VI.

Filia conscientia in veneno priuigni.

**L**EX. VENEFICA TORQUEATVR, DONEC CONSCIOS INDICET. Quidam mortua uxore, ex qua habebat filium, duxit aliam, & ex ea filiam sustulit. Veneficij damnata, dum torqueretur, dixit conscientiam puellam. Petitur ad supplicium puella. Pater defendit eam.

Contr. 6. lib. 9.

**D E C L A M A T I O.** Non prodeisset tibi puella, quod te a manuit frater, nisi mater odisset. Nefanda mulier, etiam filia nouerca, ne mori quidem potuit, nisi & occideret. In gladiatoribus quoque conditio dura victoris est, cum moriente pugnantis. Nullum magis aduersarium timeas, quam qui vivere non potest, occidere potest. Concitatisima est rabies in desperatione, & morte ultima in furore animus impellitur. Quædam feræ ipsa tela commordent, & in mortis austorem per vulnera ruunt. Gladiator quem armatus fugerat, nudus insequitur : & præcipitati non quod impulit tantum trahunt, sed quod occurrit. Naturali quodam deploratae mentis affectu, morientibus gravissimum est commori. O mendacium simile beneficio! dum noueræ meminit, matris oblita est. Peto, ne

quia filium vindicauit, filiam perdam. nisi succurratis, nouerca vicit, ego victus sum. ne inter supplicia quidem definit occidere. Prost apud vos pueræ, quod pater eam laudat: prosl, quod mater accusat. Conscia, inquit, est filia. Ego torqueti eccepi, nouerca torqueare. Habui filium talcum, ut illum amare posset nouerca, nisi in eam incidisset, quæ odisse etiam filiam posset. Seruus furti tortus Catonem conscientem dixit. Vtrum plus tormentis creditis, an Catoni? Quod nouerca tam sero, puella tam cito? In hoc veneficii pena dabat, ut accusationis ex geret.

PARS ALTERA. Quafondam ferarum catuli cum rabiie nascentur: venena à radicibus statim pestifera sunt. Quid illa quæ fratrem in moram sequentis patris sparsit? habes exemplum, quod & sorori conueniat & virgini. Nouerca in hoc priuigno dedit venenum, ut filia sola heres esset: idcirco adhibuit & consciac.

## EX LIBRO DECIMO CONTROVERSIARVM

### DECLAMATIO I.

Lugens pauperis filius diuitem sequens.

**I**NIVRIARVM SIT ACTIO. Quidam cum haberet filium, & diuitem inimicum, occisus, inspoliatus inuenitus est. Adolescens sordidatus sequi diuitem coepit. Diues eduxit cum in ius, & pestulauit, ut, si quid suspicaretur, argueret. Adolescens ait: Accusabo, cum potero: Diues petens honores, repulsus est, accusat inuriarum pauperis filium.

Contr. 1. lib. 10.

**DECLAMATIO.** Gratiis diuiti, quod quos odit, iam reos facere contentus est. Non ambulabis, inquir, eadem via, non caléabis vestigia mea, non offeres delicatis oculis sordidam vestem, non flebis, me inuito, non tacebis. perieramus, si hic magistratus esset. Quod sordidatos fuimus: quod flevi, pietatis: quod non accepui, timoris: quod repulsus es, vestrum est. Honores patre meo viuo nunquam petiuit. Vitia mea meum sequitur. Taceo.

Vii;

Vtinam hoc vitium habuisset & pater. Quando vobis non sordidati sumus? Accusa, inquit, pauper diuitem. Ambulare mihi arbitrio meo non licet. Accusa, inquit, reum perage, perora. quis accusare sic loquentem potest? Cur, inquit, me sequeris? aliud ergo pauperes iter, aliud diutes habent. Quisquis percussor fuit, quasi diues spolia contempsit. Mortuo patre meo: mortuo enim, ne quis se laedat putet, si dixero occisum, Sordidatus, inquit, fles. Quid aliud facere possum, occisi pauperis filius? Quid accusanti fecisset, qui prosequitur tacitatem? Quare, inquit, sequeris me? ut aliquando miserearis mei, ut desinas afflictam domum persequi. Num accusatorēm habeo qui se non esse reum miratur. Cur, inquit, non agis? Quia adeo non metuis, ut cogas. Sordidatus sum. Quod reo licet, lugenti non licet? An ne lugebo quidem, queri vindicare non possum? Non erat in illo praeda, quam grassator appeteret. erat summa virtus, contumax aduersus diuitiarum fastidium innocentia. Hæc ab inimico petita sunt spolia. Quis cædem machinatus est? Scire non possum: quod dissimulari non potest, scio quis optauerit. Et tu diues inimicus es: & ille inspoliatus inuentus est. non est cur accusēm, sed est cur suspicet.

PARS ALTERA. Ut scias te inuidiam mihi facere, cum dixisse, Accusa me: non negasti, sed respondisti, Accusabo cum potero.

### DECLAMATIO II.

Vir fortis non cedens forti.

**V**IRO FORTI PRÆMIVM. SI PLVRES FVERINT,  
IVDICIO CONTENDANT. Pater & filius fortiter  
fecerunt. Pater petit à filio, ut sibi cederet. ille noluit. iudi-  
cio contenderunt. vicit patrem. petit pramio statuas patri.  
*Abdicatur. C. D.*

DECLAMATIO. Quem optem iudicij huius e-  
uentum nescio, cum crimen meum sit, viciisse. Patriæ iudi-  
cium habeo, patris perdidi. Patrem in acie vidi, pugnauis  
cum exemplo. Iudicium vocatur: quo pater & filius  
spolia contulimus. Vici, non filius patrem, sed iuuenis  
fenem. Ego vici. sed omnes gratulati sunt patri. Cogitauis

Horatium Etruscas acies corpore suo submoventem. cogitavi Decium, qui nec ipse patri cessit. Pugnai non tantum imperatori, sed etiam patri. Auidus sum glorie. hoc si virtutem est, paternum est. Pudeat pater, si te vicit filius abdicandus. Ego primum habeo: tu & primum, & virum fortis. Virtutes nostræ silentio præterissent: illustratae sunt, dum conferuntur. Iudicauerunt non quod erat, sed quod te malle credebaot. Honor ad utramque peruenit: alter primum habet, alter percipit.

PARS ALTERA. Nolo habitare cum aduersario meo, non capit idem contubernium, victimum & virum fortis. Statuam. inquit, tibi posui. imo ne possum unquam me victimum obliuisci, ignominiam meam in æs incidisti.

## DECLAMATIO III.

Demens quod mori filiam coegerit.

**D**EMENTIA SIT ACTIO. Bello ciuili quadam virum secuta est, cum in diuersa parte haberet patrem, & fratrem. Victimis partibus suis, & occiso marito, venit ad patrem, a quo reiecta, ait patri: Quemadmodum vis tibi satisfaciam? Ille respondit: Morere. Suspedit se ante ianuam eius. Accusatur pater a filio dementia.

DECLAMATIO. Sic sibi satisficeri, ne victor quidem voluit. Nullum fuit in proscriptione mulieris caput. Inquinasti filiae sanguine penates. quanquam quid loquor penates, tanquam in domo perierit? Allatum ad se Pompeij caput Cæsar fleuit: & hoc illi propter filiam praestit. Quemadmodum vis satisfaciam tibi? Hoc ipso satisfecisse puella debuerat: adeo & in maritum, & in patrem pia: ut alterum usque ad mortem secuta sit, & alteri morte satisfacerit. Periculose offendit patrem qui nescit ignorare. Morere. quid aliud meruerat, si satisfacere noluisse? Defendisti Ligarium Cicero. quam leue iudicasti crimen, de quo confessus es! Ante ipsum domus limen extincta est: ne dubitari posset, marito periret, an patri. Meruerat, inquit, accusas etiamnum: Et certè iam tibi satisfactum est. Secutus est genet diuersas partes, vxor suas.

Optima

Optima ciuilis belli defensio obliuio est. Morere, inquit, Etiam quibus animaduertere in damnatos necesse est, non dicunt, OCCIDE: non MORERE: sed, Age LEGE. crudelitatem imperij verbo mitiore subducunt.

**PARS ALTERA.** Mores tuos patri debes approbare, non patris regere. Multa potes iam dementiae signa colligere; non potes patrem propter verba dariare. Animaduertit Manlius in filium, & victorem quidem: animaduertit Brutus in liberos non factos hostes, sed futuros. vide an sub istis exemplis patri fortius licet tantum loqui. Con-tumaciter rogauit, quemadmodum & periiit. nihil agnouit filia, nihil victae. non misit ad patrem fratrem. An etiam num irascitur fratri? Cur me solum rogat, cum duabus satifacere debeat? Victor, inquit, cito exoratus est. Facilius est ignoroscere bello, quam parricidio. Etiam morte patri quæsiuit inuidiam. Perisse propter patrem dicitur mulier, quæ virum habuit, propter quem mori posset.

#### DECLAMATIO IV.

Mendici debilitati.

**R**EIPUBL. LESA SIT ACTIO. Quidam expositos educabat, & debilitatos mendicare cogebat, ut sibi mercenari referrent. Accusatur lesa Reipub.

Contr.4.lib.10.

**DECLAMATIO.** Factum est, ne liberos patres aut agnoscant, aut recipiant. Vestigalis isti crudelitas, eo magis, quod omnes præter istum misericordes sumus. effectum est, ut nihil esset miserius expositis, quam tolli: parentibus, quam agnoscere. Alterius comminutas scapulas in deforme tuber extundit. Produc familiam tuam. Volo nosse illam humanarum calamitatum officinam. Sua cuique calamitas tanquam ars assignatur. Intuemini illi erutos oculos, illi effractos pedes. Quid horrescitis? sic iste miseretur. Nouum monstrum: integer alitus, debiles alii. Perissent, inquit, ita non infelicius supersunt? Perissent, inquit. interroga patres, vtrum maluerint. Quanti ex his viri fortes, quanti tyrannicidæ, quanti futuri sacerdotes?

Num incredibilia loquor? Ex hac fortuna origo Romani gentis apparuit. Plus acceptum crudelitati, quam expensum misericordiae refert. Expositos aluerunt etiam terra, satis futura mites, & præteriſſent. Quorum cum ubique audiantur preces, in sua tantum causa ceſſant. Abscissa est illis lingua, & eſt rogandi genus, rogarē non poſſe. Miserrimi omnium, iudices, quorum ſingulorum miseriſeritatis. Iſtis nos vindictam negaturos putas, q̄ibus ne id quidem negauimus, quod tibi datū erant? Res indignifima; cum tam crudelis sit, misericordia publica viuit. Exurgite miseri, & hodie vobis primum rogate. Tibi, inquit, quotidiana captura non conſtat, apparet te nondum ſatis miſerum videri. Occurunt nuptiis dira omnia, fatis publicis auspicia feralia. Et diebus in hilaritate dieatis ſemianimes iſti greges oberrant. Adunt iſtum, qui ſe alete non poſſunt. Non eſt qui rogarē nesciat, ſolet etiam docere. Non habes tot membra, quot debes. Ergo tu cum de publica misericordia cogitares, tam crudelis eſſe potuisti? Miseros, qui ſic rogant: miſerioreſ, qui ſic rogantr! Omnes omnibus ſtipem conſerunt, dum quiſque timer, ne filio neget. Eſſecisti ut maius eſſet malum educari, quam exponi. Timebantur feræ atque ſerpentes, & inimicus teneris artibus rigor, inopia quoque: inter expositorum pefcula non numerabamus educatorem.

PARS ALTERA. Debilitati, inquit, plus illis patet nocuerat. Quid videtur lanista? qui iuuenes cogit ad gladium: & tamen non acculatur læſa Reipubl. Quid leno? qui ſtuprum pati cogit inuitas: nec Rēpubl. læſit. Ergo reum non laudari deſidero, ſed absolu. noceat hoc illicum petet honores. Poteſt enim aliquis & non eſſe homo honestus, & eſſe innocens reus. Ut illis multum ablatum ſit, vita redditia eſt. Reipubl. læſe non poſteſt agi eorum nomine qui extra Rēpubl. ſunt. Egens homo, & qui ne me quidem alere, nedum alios poſſum, ſuſtuli relictos: quibus non iniuria fieret, ſi aliiquid detraheretur; ſed beſſicio cedeſer, ſi vita ſeruareretur. Faciant inuidiam, dicant illos per me miseri viuere, dum fateantur per me viuere. Vnius misericordia viuant, omnium aluntur. Mirum eſt, vacare homines huic cogitationi, ut eurent quid homo mendicus inter mendicos agat. Ciuitatis iſtius princip-

pes diuitias suas exercent contra naturam: excisorum greges habent: exoletos suos, ut ad longioriem patientiam impudicitiae idonei sint, amputant: & quia ipsos pudet viros esse, id agunt, ut quam pauci virti sint. His nemo succurrit delicatis & formosis debilibus. Curatis quis ex solitudine infantes auferat, perituros nisi auferantur: non curatis, quod isti beati solicitudes suas ingenuorum ergastulis excolunt, & misericordum iuuenium simplicitate decepta, speciosissimum quemque, ac maximè idoneum eastris, in ludum detrudunt.

## DECLAMATIO V.

Parrhasius &amp; Prometheus.

**R**EIP. LASA SIT ACTIO. Parrhasius pictor Atheniensis, cum Philippus captiuos Olynthios venderet, emit unum senem. Athenas perduxit, deinde torti. Ad exemplar torti, Prometheus pinxit. Olynthius in tormentis perit. ille in templo Mineruæ tabulam posuit. Accusaturs laea Reipub.

Cont. 5. lib. 10.

DECLAMATIO. Senex abstractus à liberis super exustæ patriæ cinerei stetit. ad figurandum Prometheum, satis tristis est. Nemo ut naufragum pingeret, mersit hominem. Ultima Olynthij precatio fuit: Redde me Philippo. Seruus, inquit, meus fuit. putes Philippum loqui. Ædeni Mineruæ fugimus tāquam castra Macedonum. Parum, inquit, tristis est. Aliquis Olynthius patrum tristis est? Vis Parrhasi tem videre? duc illum ad Olynthum iacentem. Scis certe, quam tristem emeris. Olyntus urbem aperiuiimus, templa præclusimus. Nemo Olynthius tortus esset, si omnes illos Macedones emissent. Torqueatur. hoc nec sub Philippo. Moriatur. hoc nec sub Ioue. Sic iste hospitalis Olynthio fuit. Hoc est Promethea facere, non pingere. Emi, inquit, immo si Atheniensis es, redemisti. In isto templo pro Olynthiis vota suscepimus. Ille carnifex Græcię istū tamen non amplius quam vendidit. Producitur nobilis senex, lōga miseriatur tabe cōfectus, & tam tristis quam si iam tortus esset. Quem inungi p̄cō viderat dentem, agnoscetbat empator

rem. Vereor ne quis cum audierit Olynthij verbera, tormenta, ignes, me queri de Philippo putet. Si isti creditis, iratum louem imitatus est. si nobis, vicit iratum Philip-  
pum. Tantum patiendum est pingente Parrhasio, quan-  
tum irato Ioue. Miserrime senex, aliquis forte ex seruis  
eius felicior servit. Si ad suecurrentum profectus es, queror quod vnum emisi: si ad torquendum, queror quod vil-  
lum. Statuit ex altera parte Parrhasius cum coloribus, ex  
altera tortor cum ignibus. Dubium est inter ista, Parrha-  
sius studiosius pingat, an ille saeuat. Producitur respiciens  
patriam senex. Placuit Parrhasio vultus infelix. Habuit  
autem aliquid Olynthius Prometheus simile, & ante tor-  
menta. Ignis, tormenta, ferrum: officina haec pictoris, an  
Philippi est?

**PARS ALTERA.** Nunquam vnius malo publica fama  
corrumptur. Solidior est opinio Atheniensium, quam re-  
labefactati tormentis captiui possit. Læsistit, inquit, Remp.  
quod hanc picturam in templo posuisti. Iaduntem Repub-  
licam, qui aliquid illi auferunt, non qui aliquid adiiciunt.  
Peccauerunt ergo recipiendo tabulam, & sacerdotes. Cur  
autem non recipierent? deorum crimina in templis picta  
sunt. Multum semper artibus licuit. Medici ut vim igno-  
ram morbi cognoscerent, viscera hominum reseiderunt.

### DECLAMATIO VI.

Fur accusator proditionis.

**I**NIVRIARVM SIT ACTIO. FVR CONCIONE PRO-  
HIBEATVR. Quidam cum disuitem accusasset prokicio-  
nis, noctu parietem eius perfodit, & scrinium, in quo misse  
erant ab hostibus litera, sustulit. damnatus est diues. Cum  
concionari velles accusator, a magistratu prohibitus est. agit  
inivriarum.

Cont. 6.lib. 10.

**DECLAMATIO.** Id solum sustulit, quod fur reliquisset.  
nil magis fur timui, quam ne dominus furtum agnoscere  
nolle. Ruentem ciuitatis statum, vnius parietis rima su-  
spendit. Profiteor indicium furti inci. ciuitas conscientia est.  
Furtum est, quod timet dominus agnoscere? quod qui per-  
didit,

didit, supplicium tulit: præmium, qui surripuit? Cui magis permisisses loqui, si eodem tempore & fur venisset & dominus? Mille nauium duces farto Troiam cepistis. Si bene furto euertuntur vrbes, quanto melius liberantur? In forum veni, narrai nocturnam expeditionem meam. Conuenerant omnes, tanquam ad concionem. Cur me submoues ante accusationem: cum nec proditores inauditati persant? O furtum in concione narrandum! proditoris vigilansissimum pectus, & in exitia nostra semper sollicitum, publica fata sopierant. ita etiam ministros eius alii gauerat somnus, ut mihi licet eligere quod tollerem. Diruere mihi videbar hostium muros. Furtum vocas, quo nihil melius tuo anno factum est. Nemo fur Rempub. cogitat, nihil non licet pro Repub. facere.

**PARS ALTERA.** Quale illud, dij, spectaculū fuit! composuerat inter se fortuna Reip. furem & proditorem. vt vidit inutile furtum suum, prodidit: vt nobis venderet, quod nulli poterat. Tam callidus fur, vt etiam proditori posset imponere. Consilium videri vult infelicitatem furti sui. Lex quæ nocturnum furem occidi quoquo modo iubet, non de damnato tantum, sed de fure loquitur. Quid hoc vitium, nec immerito: non multum abest à proditore. Sustulit quod non elegit, sed quod illi fatum publicæ felicitatis obiecit. Vno tempore & proditorem nobis ostendit, & furem, qui diuitem compilare mallet, quam damnare. Effregit domum manu suspensa, elusit illum. non tunc primum fecit. Sustulit non quod voluit, sed quod potuit. Bono exemplo damnatus est proditore: malo inuentus.

### SENECAE DECLAMATIONVM

#### FRAGMENTVM.

Quintil. Cap. II. Lib. IX.

**N**OVI verò & præcipue declamatores audacius, nec mehercule sine motu quodam imaginantur, ut Seneca in Controversia cuius summa est, quod pater filium & nouercam inducente altero filio in adulterio deprehensos occidit. *Duc, sequor, recipe hanc senilem manum, & quocumque via imprime.* Et paulò post: *Aspice, inquit, quidam dix*

non credidisti. ego verò non video. nox oboritur & crassa est.  
Iigo. Habet hæc figura manifestius aliquid, non enim narrari res, sed agi videtur.

## EPITAPHIVM M. ANNÆI SENECAE.

**C**ura, labor, meritum, sumptu pro munera honores,  
Ite alias post hac sollicitare animas.  
Me procul à vobis Deus euocat. illicet actis  
Rebus terrenis hospita terra vale.  
Corpus auara tamen solennibus accipe saxis,  
Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.



M. ANNÆI SENECAE  
SVASORIARVM  
SYLLABVS.

- I. **D**ELIBERAT Alexander an Oceanum nauiget.
- II. Trecenti Latones contra Xerxes missi, cum  
erecenti ex omni Græcia missi fugissent, deliberant an ipsi  
fugiant.
- III. Deliberat Agamemnon, an Iphigeniam immo-  
let, negante Calchante, aliter nauigari potuisse.
- IV. Deliberat Alexander Magnus an Babyloniam in-  
terret, cum denunciatum esset illi responso auguris pericu-  
lum.
- V. Deliberant Athenienses, an trophyæ Persica tol-  
lant, Xerxe minante redditum se, nisi tollerentur.
- VI. Deliberat Cicero an Antonium deprecetur.
- VII. Deliberat Cicero; an permittere salutem Anto-  
nio orationes suas comburat.
- VIII. Deliberat Cicero an sua scripta comburat, pro-  
mittente Antonio incolumitatem, si fecisset.

## CONTROVERSIARVM INDEX.

## LIBER I.

Liberi parentes alant, aut vinciantur.

- I. Duo fratres inter se dissidebant, alteri filius erat: pa-

tritus

trus in eglaterni i-  
stis, ob hoc abdu-  
trus accepta hec e-  
pater: verance pa-

Sacra

III. Quandiu  
zone, & profitie-  
militum qui ad

fratrem, & vi-  
ta, remissa ad

III. Ince-

inocuaciu-

Adulterium

Liens

IV. Vir fi-

duleterum cu-

flio, ut occi-  
ficium. Con-

Raptu-

V. Van-

itas: altera-

V. Capit-

edimicatur

ter se uxori

ne est adolescentia

scidit: pare-

ntiam ducunt

Li-

VII. Qui

rum in abu-

cete, iste in

piano. Pa-

manni, du-

temps